
E

Digitized by Google

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

E 754/2

Catalogo inscriptus.



Digitized by Google

Digitized by Google

EXCURSUS PRIMUS
AD
CAPUT PRIMUM
VIÆ VETERIS, ET REGLÆ,
HEBRAÏZANDI.
CONTINENS
STRICTURAS
AD
DISSERTATIONEM
HISTORICAM
DE
LINGUA PRIMÆVA, ETC. ETC.

AUCTORE

ALBERTO SCHULTENS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM LUZAC.
MDCCXXXIX.

Digitized by Google

ERUDITO

ET

ÆQUO

LECTORI.

IN *magno Certamine*, *quod pro* Orientalium Linguarum *dignitate*, *earumque Uſu ad* Linguam Hebræam *intelligendam*, *& Illuſtrandam*, *publice privatimque ſuſtineo*, *ſemper expertus ſum; Eos qui* Statum Controverſiæ *diſtinctius percepiſſent confeſtim* Evidentia Cauſæ *convictos*, Methodum *noſtram ut unice* Veram, Legitimam, Solidam, *comprobaſſe*.

Idem nunc mihi promittere audeo etiam ab iis, *qui* Diſſenſionem *a Nobis profitentur*.

Quod ſemper dixi, *repeto*, Cauſam *a me* agi *tam* Manifeſtæ Veritatis, *ut ne qui velit quidem*, *de ea addubitare poſſit*, *ſi modo defæcato Oculo* Statum Quæſtionis *cognoſcere dignetur*.

Nempe Syſtema *noſtrum non* abditis *quibuſdam* principiis, placitiſque, Metaphyſicis *innititur*. *Sed*

EXPERIMENTALI DEMONSTRATIONE, *omniumque* Linguarum Natura, *ac* Senſu Communi, *eſt fundatum.*

Via Vetus *&* Regia Hebraïzandi *nuperrime a me oppoſita* Novæ *&* Metaphyſicæ Hodiernæ, *id omnium Eruditorum, Ineruditorum, in Oculis defigere cœpit.*

Ea Methodus Metaphyſica *ſub auſpiciis Cl.* Guſſetii, Philoſophiæ *in* Acad. Groningana Profeſſoris, *initio hujus ſeculi ſeſe in* Belgio *noſtro extulit, indeque ſenſim ſine ſenſu invaleſcens, nunc ſupremum Culmen attigit.*

Quicquid in Univerſo *Studiorum meorum* Curriculo *meditatus ſum, id huic* Methodo *revincendæ, & a pomœriis* Linguæ Hebraicæ *probibendæ, dicatum, ac deſtinatum, fuit: quod inde majorem* Confuſionem, *&* Caliginem, *in* Sacra *noſtra ingruituram viderem, quam unde per* Linguarum Orientalium *Cultores, ſeculis* XVI. *&* XVII. *auſpicatiſſime vindicata fuerant.*

Quum hæc agens, multa in Lectoribus *meis ſupponerem, & præſertim* Statum Controverſiæ *notiſſimum eſſe autumarem: infeliciſſime accidit, ut per* Guſſetianiſmum *ferme jam refrigerato* Linguarum Orientalium *amore, a paucis legerer, a paucioribus intelligerer; ab omnibus fere citra cognitionem cauſæ judicarer, neſcio quid fovere, quod a* Veteri formula *deſciſceret: quum tamen* Vetera Fundamenta *conſtabilirem; eaque altius educere ad* Digni-

ta-

tatem Reformationis, *&* Gloriam Solidæ Eruditionis, *unice conniterer.*

Ut hoc uno oculorum conjectu Cuncti perſentiſcant; ſimulque Status Quæſtionis *necdum, proh dolor! perceptus a multis, quos deveneror, & honoro, in* liquidiſſima luce *locetur, paucis indicabo* principia, *ſive* primas Veritates, *quibus a noſtra parte* Dialectorum *cum* utilitatem, *tum* abſolutam neceſſitatem, *urgemus.*

I. *Ut* dubio vacuum *ac* per ſe notum *tenemus*, Veterem Linguam Hebraicam non TOTAM in arctiſſimis Spatiis unius Codicis Sacri, *qui ſolus iſta* Lingua *conſcriptus ſupereſt, comprehendi atque incluſam eſſe,*

II. *Ergo multas* Radices, Vocesque derivatas, *quæ vivente* Lingua *aderant, nunc* e Reliquiis *hiſce exiguis* abeſſe: *atque ita* magnam partem Linguæ Veteris DEFICERE *i. e.* in Sacro Codice non reperiri.

III. DEFICERE *quoque, id eſt* deperditas, *&* oblitteratas *eſſe, multas* SIGNIFICATIONES verborum, *quæ ad* Linguæ *vel* pondus, *vel* decus, *in omni ambitu, &* Analogia, *rite capiendum requirantur.*

IV. *Iſtum* Defectum, *i. e. iſtam* abſentiam ſignificationum Veterum *maxime* Cadere *in* Primigenias Radicum poteſtates; *quæ ſemper ut* rariſſimæ *in Libris, ita* profundiſſimæ; *& non niſi ſumma Librorum, ac Monumentorum Veterum, Copia reperiundæ.*

Digitized by Google

V. *Hunc* Defectum cognitionis noſtræ; *id eſt*, hanc Abſentiam ſignificationum *ex* Dialectis Orientalibus, *quibus* intima cognatio & conſanguinitas *cum* Hebræa, & poſſe, & debere, ſarciri; *adhibita prudentia*, & Caſtiore *illa* Critica, *quæ omnibus Scientiis debet præſidere.*

Has primas Veritates *omni dubitatione*, *nedum contradictione*, & *oppugnatione*, *ſuperiores eſſe ſemper exiſtimavi*, *atque etiamnum exiſtimo*: *facilem tamen me daturus Ei*, *qui hæc eſſe* πρῶτα ψεύδη falſa *plane* principia, *mihi demonſtrare poſſit.*

Ex adverſa parte jam ſtans Cl. Guſſetius; *non per omnia tamen a nobis deſcrepat directe*; *ſed oblique plus minuſve* principia *noſtra enervare conatur*: *contrariis poſitionibus non tam aſſumtis*, *quam inſinuatis*

I. *Quod ad* primum principium *certe*, *nunquam dicere auſus fuit ille Vir* Clariſſ. Veterem Linguam Hebræorum Totam in Bibliis contineri. *Ne* Celeb. *quidem* Drieſſen: *eo progreſſus*; *quamvis in præcipiti ſtetiſſe videatur.* *Quid ſumme venerandus* Auctor Diſſert. de Ling. primæva *ſtatuat*; *video*; *nec tamen oculis meis credo.*

II. *Ad* ſecundum; *ne quidem* Guſſet. *aſſerere ſuſtinuit*, *omnes* Radices, & derivatas Voces Ling. Hebrææ *in* Bibliis *aſſervatas*, *ſine ullo* damno, *vel* DEFECTU; *quem* Lingua *temporum fatis* paſſa *ſit.* *Qui id diceret*, *eo ipſo* Totam Linguam *in* Sacro Codice *concluſam diceret.* *Ergo nec Cl.* Drieſſ.

id

Digitized by Google

id auſus: qui quantumvis me ob nomen Defectuum *vel maxime impugnaverit*, *ipſemet* DEFECTUS *agnoſcit*, *quos* Lingua *ſubierit. Exſpectabo quid* Honoratiſſ. Diſſertator de Ling. primæva *pro* Sapientia, Gravitate, & Candido Veritatis amore, de DEFECTIBUS hiſce, re ad Aurificis ſtateram exacta, ſit conſtituturus, *quum ex hoc* Scripto *meo ſole meridiano clarius tandem dignoſcet*, *me* nullos *unquam* Defectus Linguæ Hebrææ, *qua* Linguæ, *attribuiſſe: ſed tantum egiſſe de iis* QUÆ NOSTRÆ COGNITIONI DEFICIUNT: *quæque ad* Dignitatem, Excellentiam, gloriam Linguæ Hebrææ *ex* Limpidis Fontibus *reſtitui & poſſint*, *& debeant*, *ſub providentia Divina.*

III. *Ad* tertium: *iterum ne* Rever. Guſſetius *quidem* multas Verborum ſignificationes deperditas, & oblivione deletas *eſſe*, *negavit. Aſſeveravit tantum*, *quicquid ad* Codicem Sacrum *accuratiſſime*, *& enucleatiſſime*, *intelligendum*, *requiritur; non pro* Veritatibus *tantum* Cœleſtibus, *ſed etiam pro* ipſa Linguæ natura, Analogia, Emphaſi, Rhetorica *omni*; & Originatione *ipſa* Verborum: *id omne in illo* Codice *ita conſervatum*, *& conſignatum*, *ut nuſpiam alibi quæri*, *nec poſſit*, *nec debeat.*

Hoc jam Rationi, & Experientiæ *directa fronte adverſum*, *in* Metaphyſicam *exit cum* ſubtilitatem, *tum* ſublimitatem; *qua contenditur* LINGUAM HEBRÆAM, *utpote* DIVINAM, SOLIS INSTAR

STAR propriis Radiis refulgere, nec ulla alia Luce per Dialectos adfuſa indigere.

IV. *Ad* quartum; *ipſe* Guſſetius; *ejuſque Dux & Auſpex*, Bohlius, *palam mecum tenent, docent, inculcant*, Origines, *id eſt* primigenas & Formales ſignificationes Verborum *non extare nec in* Verſionibus *ullis, nec in* Lexicis; *niſi admodum paucas. De eo inter nos nulla eſt* Controverſia; *nec eſſe poteſt cum ullo ſani judicii homine.* Cardo *ergo* Quæſtionis, *hoc quarto numero; in eo volvitur: undenam hæ* Origines, *id eſt*, Significationes antiquiſſimæ *indagari poſſint, & debeant? num ex* Lumine & Acumine Metaphyſico; *quod ſibi* Formas *ſive* Formales poteſtates *ſpeculando* loca Biblica *exſculpat: an* ad Dialectorum Lucem, & Auctoritatem?

V. *Ad* quintum; *nunc ſponte elucet, Cur Cl.* Guſſetius Dialectos, *quæ tanto ſemper honore fuerunt in* Orbe Erudito; *quæque revera* Arcem *conſtituunt*, & propugnacula, Eruditionis Hebraicæ; *deprimendas ſibi judicarit: quamvis eas penitus eliminatas noluerit. Si eas cognitas habuiſſet Vir* Celeberrimus; *eas haud dubie & amaſſet, ut* Fontes Limpidos; *& commendaſſet.*

Reſplendet jam Status Quæſtionis *ad ſummam* ſimplicitatem *redactus*; *cujus* Deciſione *nil proclivius, & expeditius; ſi modo ad* naturam *omnium* Linguarum *attendatur.*

Quæritur nempe num ORIGINES RADICUM

HE-

folium sequens, bibliopegi errore post paginam 70 insertum habes.

EXCURSUS PRIMUS

AD

CAPUT PRIMUM

VIÆ VETERIS, ET REGIÆ,

HEBRAÏZANDI.

CONTINENS

STRICTURAS

AD

DISSERTATIONEM HISTORICAM

DE

LINGUA PRIMÆVA,

EJUSQUE PROPAGATIONE, AC VARIIS DIALECTIS.

I. Nunquam quicquam, hoc rerum mearum articulo, opportunius mihi venire potuiſſet, quam DISSERTATIO *de* LINGUA PRIMÆVA, *ejusque* PROPAGATIONE, *atque inde natis Variis ac Multiplicibus* DIALECTIS, *ſecundum narrationem Moſis Gen. Cap.* X. XI. *Occaſio hujus Scriptionis.*

Diviſio Diſſert. Hiſto-ricæ. Digeſta eſt ea *Diſſertatio* in *quinque Capita*.

Horum *primum* agit *de* LINGUA PRIMÆVA ANTEDILUVIANA, *ejuſque propagatione*; *atque inde natis Variis ac Multiplicibus* DIALECTIS.

Secundum, tractat *de* LINGUA PRIMÆVA POSTDILUVIANA, *ejuſque* PROPAGATIONE, *atque inde natis Variis ac Multiplicibus* DIALECTIS; per *tres Ramos majores* videlicet, quibus *totidem datæ ſectiones*. Earum prima inſcribitur *de Lingua Japhetæa*. Altera *de Lingua Chamæa*. Tertia *de Lingua Semæa*.

Caput *Tertium* differit *de Babelica Linguarum Confuſione*.

Quartum inſcribitur *de Lingua Hebræo - Biblica*.

Quintum denique diſquirit *de Linguæ Arabicæ Origine & Propagatione*.

Ea Guſ-ſetia-niſmo *culmen inponit*. II. Principia, & fundamenta, *Hebraïzandi*, quæ Cl. Diſſertator per *quinque* illa *Capita* adſtruere, atque emunire, conatur, directe oppoſita ſunt omnibus *veteribus principiis*, atque *fundamentis*; & *Novum Syſtema Metaphyſicum Hebraicam Linguam excolendi*, per Cl. *Boblium* ſeculo præcedente invectum; atque ſub auſpiciis Cl. *Guſſetii*, volvente hocce ſeculo, provectum, ad Complementum atque Culmen ſupremum evehunt. Admirabiliter ergo cecidit, quod qui nihil plane inaudiveram de conſilio Venerandi Viri, *Diſſertationem* hancce in lucem, *æſtivis hiſce feriis*, emittendi; eaſdem *ferias* impenderim in primas lineas *Veteris & Regiæ Viæ Hebraïzandi*, vindicatæ & aſſertæ adverſus *Novam & Metaphyſicam hodiernam*.

Iſta Methodus *tota* Metaphyſica. III. Iſti *Metaphyſicae Methodo*, unde graviſſimas *Rei Hebraicæ* tenebras imminere prævideram Adoleſcens adhuc: dein Juvenis, atque in *Academia Franekerana* Profeſſor conſtitutus *Anno ſeculi* XIII. publice, ex officio, me oppoſui, *Oratione Inaugurali* DE FONTIBUS *ex quibus omnis Linguæ Hebraicæ notitia manavit*, *horumque vitiis*, & DEFECTIBUS. Ejus

Ejus *Argumentum* delineavi *pag.* 1-4. *Veteris* & *Regiæ Viæ:* quemadmodum & *Hiſtoriam conatuum Guſſetianorum*, cum *Conſpectu Hypotheſeos* ejuſdem, pertexui a *pag.* 6. ibidem ad 15.

Hebraicæ Linguæ ſtudium ſuſſlaminavit.

IV. *Captivitatem* iſtam *Metaphyſicam*, *Babylonica*, unde emerſerat, multo graviorem, ut a *Lingua Hebræa* depellerem, jam firmitatis aliquid, & maturitatis, in ante noſtra adeptus, *Originum Hebraicarum* opus aggreſſus ſum. Hujus *primus Tomus A°.* XXIV. editus. Adjecti fuiſſent, citra moram, alii, ſecundum delineationem *pag.* 26-28. ibi datam; niſi jam per *Guſſetianiſmum* magis magisque in *Belgio* noſtro invaleſcentem, ita languiſſet *Linguæ Hebrææ* ſtudium apud bene multos, ut quid agerent *Origines* noſtræ ne intelligeretur quidem, ab iis quoque, qui in *re Hebraica* ſatis magnum locum, gradumque, tenere credebantur.

Ei ſtudio inſtaurando Origines noſtræ dicatæ.

Hinc enatæ, ut fit, non valde benevolæ ſuſpiciunculæ; mox voculæ; ac ſi neſcio quid parturirem, quod *Hebraicæ Veritati* noxam ferre poſſet; quum ad eam conſtabiliendam, atque ulterius provehendam, omnes mei conatus adſpirarint; atque per Divinam Gratiam puriſſime ſemper ſint adſpiraturi.

Itemque Opus de Defectibus cognitionis hodiernæ *in* Ling. Hebr.

V. Ad has voculas comprimendas, intermiſſis *Originibus*, prævertor *A°.* XXVII. ad *Opus*, cujus prima tantum pars, agens de *Defectibus hodiernis cognitionis noſtræ in Lingua Hebræa*, in lucem emitti potuit, *A°.* XXIX. reliquis hactenus, ob rationes deinde percipiendas, remoram ſatis longam paſſis.

Operis illius initium, & deſcriptionem, hic conſpici velim. Sic ordior. *Ad pulchrum & laudabilem impetum, quo juventus noſtra Academica in Linguæ Hebrææ ſtudium exarſit, alendum inflammandumque, deliberatum mihi eſt aliquot Diſputationibus aperire, & ex intimis Linguarum fonti-*

tibus demonſtrare, *quanta adhuc materia communem diligentiam induſtriamque invitet*, & *quam multæ etiamnum partes* Literaturæ Sacræ, *poſt acerrimam curam a præclaris Ingeniis ei impertitam*, DEFECTU NECESSARII LUMINIS *haud ſatis refectæ ac recreatæ*, *ſalutarem multorum manum ulterioremque medicinam expectent*.

Perſequor dein. *Hoc dum efficere conabor*, *eadem opera* NOVI, *vel &* NOVITATIS *ſuſpecti*, *inſtituti mei rationem expromam*, *eamque eſſe* VETEREM, *veram*, REGIAM, *egregie communitam* VIAM, *pervictum dabo : ut ita* PRÆJUDICATÆ *illæ* OPINIONES, *quibus nonnulli de noſtra Hypotheſi vel dubitant*, *vel parum favorabiliter judicant*, *diſſipentur*, *& tanquam* UMBRÆ, RADIIS *teliſque* VERITATIS *diſcutiantur*.

Diviſio Libri *Anno* 1727. *incboati.* Aliis porro in eundem finem ſubnexis, MULTO CUM HONORE eorum qui a me diſſentiebant, *pag.* 4. *Opus* illud ita in quinque membra majora divido:

1. *Exorſurum me* profiteor *a* DEFECTIBUS, *quibus etiamnum* LINGUAM HEBRÆAM, *prout illa* IN *optimis* LEXICIS *conſignata eſt*, LABORARE *longa me docuit palæſtra*.

2. Inde iturum me dico ad *conſilia*, *quæ Viri Docti inierint*, *ad Linguæ Hebrææ partes haſce male firmas porſanandas*. Intelligo diverſas *vias*, ac *Methodos*, quas varii varias inſtituerunt, ad *notiones* tum *ſecundarias*, tum *primarias*, conſtituendas. Harum præcipuas ſtrinxi *Cap.* VII. *Tom.* II. *Orig.* unde quænam ſit *Vetus* & *Regia via*, ſatis diluceſcere poteſt iis, qui oculis ſuismet ac pedibus uti valent.

3. Hinc me demonſtraturum ſubſumo, *interiorem illam* & *accuratam cognitionem* (qua ad *Origines* penetratur) *vel ex* DIALECTIS, *ac præſertim* ARABICA, *utpote omnium ditiſſima*, *&* PURISSIMA, *eſſe hauriendam*, *vel ſpem omnem deponendam earundem veſtigandarum*.

4. Quar-

Digitized by Google

4. Quartam partem deſtinari ſubjungo ipſi DIALECTO ARABUM *liberandæ a tenebris, quibus, in Lexicis, oppreſſa hactenus tenetur, quo minus tum admirabilem ejus pulchritudinem, ac conſtantiam, tum* SUAVISSIMAM CUM HEBRAICA *matre* CONVENIENTIAM *recognoſcere ſatis potuerint viri in Arabicis diligenter verſati, nedum illi qui a primo tantum limine eam ſalutarunt.*

5. Promitto deinde, coronidis loco, *expoſitionem cordatam eorum Argumentorum, quæ ſyſtema noſtrum premere, atque gravare videntur; ſubtexens ſimul, mè arma adverſus memet acuere ac porrigere paratum eſſe, atque* CERTAMEN HONESTUM *ac* GENEROSUM *pro* BONA CAUSA *nunquam detrectaturum, quippe qui tum viciſſe me exiſtimem, quum* VERITAS VINCIT, *ac triumphat.*

VI. In *prima* hujus *Operis parte*, quæ de DEFECTIBUS HODIERNIS eſt, occupabar, quum me *Franequera Lugdunum* evocatum, A°. XXIX. novæ & graviores curæ excipiunt, atque immaturum fœtum cogunt in lucem non tam emittere, quam excutere. *Ejus prima tantum pars in lucem dari potuit.*

Si reliquis *Partibus* comitatum prodire potuiſſet opus; confecta res, omniſque contentio ſopita fuiſſet. Sed quid agerem? cum inſtitutionibus *Theologicis*, atque onere *Regiminis* in *Seminario Theol. Illuſtr.* ac *Præpot.* Ordinum, in *Academia* ornanda erat *Linguarum Orientalium Sparta* ſimul credita, inſuperque *Titulus Interpretis Manuſcriptorum Orientalium Legati Warneriani*, aliqua ſaltem tenus, implendus.

Ne ergo & huic obligationi deeſſem, poſt *Haririi Conſeſſus tres* evulgavi *Hiſtoriam Saladini*; cum ſuis ſibi acceſſionibus. Prodiit medio anno XXXI.

VII. Sequente anno *Linguæ Arabicæ Rudimenta Erpeniana* recentari curans, iis ſubnexui CLAVIM DIALECTORUM ac præſertim *Arabicæ*; quæ vel ſola de ejuſdem *intima atque* SORORIA *cum Dialecto Hebraica* *Clavis* Dialectorum Sororiam

adfinitatem Arabicæ cum Hebræa dubitationi exemit.

COGNATIONE, *nulliſque ſeculis præflorata* PURITATE, tam parum dubitare patitur eum, qui in hiſce aliquid diſcernere poteſt, quam coticula Aurificis, metalla explorans, quem ambigere ſinit quin id quod AURI NOTAS *omnes* implet, ſit PURUM atque GENUINUM AURUM.

Originum opus reſumtum Anno 1732.

VIII. Ergo ſatis jam conſtabilitam, atque evictam, cenſens *Methodum*, ORIGINES HEBRÆAS e DIALECTIS reſtituendi, interruptam telam redordiendam mihi duxi, & *Originibus* meis perſequendis eodem me anno denuo accingo. Jam *unam*, *alteram*, *tertiam* quoque *Diſputationem* publice ventilandam dederam, quum adhuc profunde ignorabam, quemquam ex Clariſſimis illis Viris, qui uſpiam in *Belgio* Theologica Sapientia eminent, eo uſque a *Veteri* & *Regia via Hebraïzandi* deflexiſſe, ut omnem uſum *Dialectorum* proſcriberet, atque purum putum *Guſſetianiſmum* profiteretur.

Quid ad directiorem cum Cl. Guſſet. congreſſum me adegerit Ao. 1733.

Sæpiuſcule interim objecta mihi illa Cl. *Guſſetii* auctoritas, quaſi is invicta acie *Dialectos* profligaſſet, neceſſitatem impoſuit propioris congreſſionis, directe adverſus *Groninganum Philoſophum*, & *Philologum*, inſtitutæ, ut ita appareret infeliciſſime eum oppugnaſſe, quod per principes PHILOLOGOS & THEOLOGOS ſupra omnem dubitationis aleam ſeculis XVI. & XVII. ſubvectum, ne tangi quidem poteſt firmo digito, nedum ut tota manu convellatur. Factum anno 1733. *Nov.* 21. *Diſput.* IV. ad *Orig. Hebr.* eo candore, quem *Cauſa Veritatis* exigit.

IX. Hac evictione evidentiſſima fretus, & in primis meis fœtibus *Juvenilibus*, & in *Opere* de *Originibus*, firmitatem *Syſtematis*, cui defendendo & propagando *Profeſſio Linguarum Orientalium* dicata in *Academiis*, ulterius adſtruere plane ſupervacuum duxi: potuiſſetque etiam opera iſtac in univerſum poſtea ſuperſederi, ſi quid in

Orbe

Digitized by Google

Orbe Erudito præſtitum ſit hac in parte, non in oblivionem ferme veniſſet, & non valde jam rari facti eſſent, etiam inter primi Ordinis Eruditos, qui quibus initiis, progreſſibuſque, *Res Hebraica* nitatur, intime exploratum perſpectumque habeant.

Nec mirum ſane: quum publice conſtet ſtudium *Linguæ Hebrææ*, totiuſque *Literaturæ Orientalis*, fatali quodam veterno, cujus cauſas alibi pandam, ab aliquot retro annis non elanguiſſe in *Belgio* noſtro, ſed ſopitum ferme jacere.

X. Congreſſio illa adverſus Clar. *Guſſetium* honeſte, candideque, ſuſcepta, me prolicuit ad fortiora arma *Partibus* illis porrigenda, ac velut *Armamentarium* recludendum omnium telorum, quæ vel *dextra*, vel *ſiniſtra* manu, in nos conjici, atque evibrari poſſe, reperiebam.

Anno 1734. adverſus me ipſum arma commovi.

Formidoloſam ſic ſatis Phalangem inſtruxit *Diſputatio Quinta ad Origines Hebræas*; quæ etiam *Caput* V. conſtituit *Tomi* II. Ejuſdem *Armiluſtrium* in *Veteri* ac *Regia Via*, *pag.* 32. 33. repetitum.

Id tunc breviter in iſta *Diſputatione* factum, ut ſemel, ſi pote, defungerer, & cavillatiunculis omnibus me exſolverem, animoſius in memet ipſum inſurgendo, quam quiſquam adhuc, in publico ſaltem, feciſſet. Eandem aciem alia occaſione adverſus memet denuo educere, latius adhuc explicitam, & tum animus erat: & nunc magis adhuc fixum ſedet.

XI. Dum iſtam materiam Examini & commeditationi diſſidentium ad tempus relinquens, totus in *Commentario Jobeo* per tres fere annos ita occupor, ac diſtringor, ut ne quidem *Defenſioni meæ*, & *Refutationi* argumentorum, quæ in memet deſtrinxeram, vacare luberet, in *Orbem* emittitur *Nova*, *Paradoxa*, & mihi quidem penitus *inaudita* tunc, ſententia, HEBRÆAM LINGUAM NUNQUAM fuiſſe DIALECTUM, i. e. ut Cl. *Auctori* id decla-

Anno 1736. in lucem prodit Novus Metaphyſici *Syſtematis conatus.*

declarare viſum, *eam* NULLI GENTI VERNACULAM *unquam fuiſſe*; ſed plane *Divinam*: ac proinde nec *Chaldaicam*, nec *Syriacam*, nec *Arabicam*, nec ullam in Univerſum *Linguam humanam*, ei illuſtrandæ poſſe ſubſervire.

Quo tendat ille, & quid promittat.

XII. Ea expoſita, atque adverſus *Syſtema* eorum qui ORIENTALES LINGUAS profitentur, intexta *Tertiæ Editioni* Operis *Belgice* a ſumme Venerando *Diſſertatore* conſcripti, atque inſcripti; *Chriſti ortus ex Davide demonſtratus*. &c.

Prodiit anno XXXVI. volvente, atque ab adoleſcentibus quibuſdam, qui de profundiſſimis hiſce materiis judicare poterant ſcilicet, liberali manu ſpargebatur, *Univerſum* noſtrum *Syſtema* jam funditus labefactatum, uno ictu ita concidiſſe, ut e ruinis ſuis nunquam reſurgere poſſet.

Nempe ſic illi ſecum, pro ipſorum ſapientia, concludebant: *ſi Lingua Hebræo-Biblica* HEBRAICÆ GENTI VERNACULA NUNQUAM *fuit: ſi Lingua illa planiſſume Divina, tam vocabulis, quam ſignificationibus, & conſtructionibus, in univerſum omnibus: ſi nihil eidem commune cum Linguis vel Dialectis humanis, quales, confitente Schultenſio, Chaldaica, Syriaca, & Arabica; ſi omnia hæc jam per Maximae dignitatis Theologum evicta; non eſt ſane quod* Dialectorum *ſuarum, & præſertim* IMPURISSIMÆ *illius* ARABICÆ, *utilitatem amplius jactet jam victus, fugatus, caſtris ipſis exutus, debellatuſque Schultenſius, cum omnibus ſuis Hottingeris, Bochartis, Goliis, Erpeniis, aliiſque Linguarum Orientalium patronis.*

Ortus & progreſſus Metaphyſi-

XIII. A quibus initiis profectum *Syſtema Metaphyſicum*, in tantum ſubito molis & magnitudinis excreverit, operæ pretium fuerit ſub conſpectum dediſſe.

Quum Cl. *Guſſetius* eo uſque ſeſe evehi paſſus eſſet, ut nihil

nihil omnino relictum videretur pro *Linguæ Hebrææ*, & *Oraculorum ſacrorum*, intelligentia, quam *artificioſa dexteritas ignotos characteres deſifrandi*, ut vulgo dicitur, ne cuncta non *ſabulo*, ſed *aqua* ipſa, fluidiora deprenderentur, firmamentum, ut putabat, invictum ruinoſiſſimo *Syſtemati* ſubſternere cœpit: atque qui *Rationibus* non poterat, *Rhetoricationibus* ſeque alioſque in principiis hiſce *Metaphyſicis* corroborare conatus fuit.

Hæc alibi jam excerpta, hic quoque comparere debent, ne *aërem cædere* videamur. *Rhetoricationes* Guſſetianæ.

„ *Merito igitur*, inquit Vir Doctiſſ. *pag.* 5. præfatio-
„ nis, *externis illis non contentus, me ad ipſam Hebraicam*
„ *Linguam confero; in S. Scripturis, ubi ea reſidet, eam*
„ *contemplaturus.*

„ *Spes non vana eſt recto vultus ipſius intuitu ejus indo-*
„ *lem, & viſceribus ejus inſpectis ac evolutis ingenium ipſius*
„ *appariturum.*

„ *Spes eſt, inquam, ut idem aliter exprimam, Linguam*
„ *hanc propria luce,* SOLIS IN MODUM, *ſe ipſam*
„ *nobis daturam ad cognoſcendum.*

„ SOL *enim quidam* LINGUARUM *Lingua Hebraica*
„ *jure habenda eſt, quæ ut ſol ſiderum primum emicuit, ita*
„ *exſtitit ante omnes alias: & ut* SOL INSITO FUL-
„ GORE *ſe manifeſtat,* NULLIUS AUXILIO INDI-
„ GENS, *vi ſimili pollet ipſa per ſe.*

„ *Significandi munere functa eſt prius, quam ulla alia*
„ *Lingua,* INDEPENDENS, *ab aliis ut nata eſt, ſic*
„ *eſſe pergit.*

„ *Denique quemadmodum ſol aliis cœleſtibus facibus com-*
„ *municat quidem ſplendorem ſuum, qui interim in ipſo pu-*
„ *rior vividiorque ac conſtantior quam in illis cernatur: ſic*
„ *Lingua Hebraica alias illuſtrat, illuſtrior ſemper illis per-*
„ *ſtans.*

B „ *Tan-*

Digitized by Google

„ *Tandem ergo illa* NOSTRUM LUMINARE MAG-
„ NUM *erit*, *ſibi nobiſque* SOL, *ſeſe nobis præbens cog-*
„ *noſcendam vi nativæ proprietatis.*

Ex leniter a me caſtigatæ Ao. 1733.

XIV. Haſce *imagines Oratorias*, quibus Cl. *Guſſetius* ſibimet oculos præſtrinxit, quum ex parte tetigiſſem *Diſput.* IV. *par.* VIII. ſive *pag.* 80. *tom.* II. *Orig.* ſimpliciter appoſui, *bonos judices facile deprenſuros plus* DECLAMATIONIS *talibus ineſſe*, *quam* DEMONSTRATIONIS.

Neminem ſcilicet exiſtimans *Rhetoricationes* pro *Re* & *Veritate* amplexurum; plus quam *Metaphyſicum* illud, ac jam plane *Hyperphyſicum* commentum, tunc temporis redarguere, ac confutatum dare nolui: partim ut *Guſſetiano* Nomini parcerem; partim ut *Hypotheſeos* illius Sectatores ſuamet ſponte potius agnoſcerent, quam infirma ſint principia, quæ non niſi pulchris figuris, & picturis, ſeſe defenſare queant.

Quid me invitarit Ao. 1734. *ad fortiora arma in memet ſtringenda.*

XV. Quod a me modeſtiâ factum, & vere dicere poſſum, reverentiâ; aliter atque par erat acceptum; ac dictitari coeptum, me in *Guſſetio* refellendo ad *Arcem Cauſæ* non accedere auſum. Eſſe quoque alia adhuc tormenta, *impuris* illis *Dialectis*, quarum uſum commendarem, funditus diruendis, atque a *Sanctuario Bibliorum* depellendis; quæ *Guſſetium* fugiſſent.

Aliud adhuc accidit, quod ſilentio involvam; & magnæ venerationi donabo.

Per hæc anſa data *Diſputationi Quintae* ad *Origines Hebræas*; in qua quicquid ſcrupulorum vel audiveram, vel ipſe potueram excogitare, a me candide expoſitum: quippe qui ſemper profeſſus ſim, atque etiamnum profitear, non *meam* agi *Cauſam*, ſed *Veritatis*, a qua vinci, glorioſiſſimus ipſi victo, ac triumphato, triumphus.

Acies argu-

XVI. In acie a me inſtructa, atque adverſus memet

A°.

Digitized by Google

A°. 1734. Octob. 16. educta; comparet ferme omnis illa formidoloſa ſpecies argumentorum, in nervum compendio adſtricta, quibus *Diſſertatio de Lingua primæva* diffuſius, & circumductius, nunc utitur; ad *Syſtema* noſtrum a fundamentis, ſcilicet, convellendum.

menta rum a me tunc contra memet inſtructa.

A. In principio ſtatim collocavi illam toties, totieſque, jactatam ab ignaris, *Linguæ Arabicæ impuritatem*, quin *degenerem* plane *peregrinitatem*.

Objectio ab impuritate Dial. Arabicæ.

B. Adjeci *immenſam vocabulorum copiam*, quæ cum *ſermone Hebræo Bibliorum* nihil commune habeant.

A luxurie.

C. Subjunxi, *diſſonantiam*, quin *pugnam* ſignificationum, ſub eodem Themate: qua Dialectus *Arabica* ab *Hebræa* ſæpe numero divortium facit.

A pugna.

D. Non omiſi, *Confuſaneam turbam*, & *farraginem* notionum, qua *Lingua Arabica inexplicabiliter laborare* videatur.

A Confuſione.

E. Inſtiti; *imaginarium* ergo eſſe totum *Originum* noſtrarum genus; atque *ſtudium* tam *vanum*, *vagum*, *turbidum*, a *puriſſimo Sermone Biblico* procul aſpellendum.

A Vanitate.

F. Subſerui; *Omnino neceſſe eſſe*, *ob diverſitatem gentis*, *quoad genium*, *Religionem*, *ſacra*, *profana*, *omnia*, *ingens diſcrimen inter Hebræam & Arabicam Dialectos interveniſſe per omnem ſeculorum memoriam*.

A Differentia genii &c.

G. Fieri ſaltem non poſſe, ob *volubilem* omnium *Linguarum conditionem*, *ut dialectus Arabum*, ſi unquam pura fuerit, *ad ſeriora tempora iſtam puritatem propagare*, *ac perferre*, *valuerit*; *præſertim quum facies Arabiæ per Muhammedem*, *& potentiam Saracenicam*, *penitus commutata atque inverſa ſit*.

A Volubili mutatione *Linguarum.*

H. Certe *ſeculo demum ſeptimo conſarcinatum Alcoranum*, *fontem Linguæ Arabicæ*, *unde reliqui ſcriptores gentis ſua hauſerint*. Abſonum proinde, & a ſana ratione alienum, ex tam *Novicia Dialecto* vetuſtam *Hebræorum Linguam* illuſtratum ire velle.

A novitate Ling. Arabicæ.

A fabuloſa *gentis* jactatione *circa regnum* Joctanidarum *e domo* Heberi.

I. Amputo *duas claſſes* intermedias, quæ ad præſentem diſcuſſionem nil conferunt: & pergo ad *undecimam Claſſem*, qua hiſce verbis ante *quadriennium* jam adverſus memet prodii. Loquor, ut acer ac fortis oppugnator noſtræ ſententiæ faceret. *Graviorem undecimo arietem admovebo meæ Hypotheſi, ejuſque fundamenta ipſa concutiam. Nempe quæ de* JOCTANIDARUM *regno in Arabia Felici narrant Hiſtorici gentis, ultra duo millia annorum edurante,* FABULIS *forte accenſenda: ſaltem non ſupra dubitationis aleam poſita. Ipſam quin imo illam* JOCTANIS, *cum numeroſa progenie,* COMMIGRATIONEM *in* ARABIÆ FELICIS *interiorem receſſum, non ab omnibus admitti.*

Reſpicio ad fluctuantes illas veterum ſententias; quorum alii *Joctanidas* junctis ſedibus locant in *India*, ad *Cophetem* fluvium: alii diviſas iiſdem regiones aſſignant, *Bactrianam*, *Carmaniam*, *Scythiam*, *Armeniam*, alias, una cum *Arabia Felice:* nullo nec modo, nec modeſtia, quicquid ſub ſolum, quod dicitur, venit, arripientes.

Adjeci gravius multo judicium Cl. *Vitringa* in *Comment.* ad *Eſajæ Cap.* XX. *pag.* 587. ubi ita ſummus ille Theologus, & Philologus: *Forte* ARABIA FELIX *ex poſteris* CUSCHI *præcipuos ſuos incolas accepit: quod enim Viri Doctiſſimi pertendunt eam inſeſſam fuiſſe a poſteris* JOCTANIS, *fieri poteſt, illos hic minus feliciter Divinaſſe. Semitarum ſedes cum terris* CHAMO *ortorum non debent confundi.* Ne hoc quidem ſubtraxi longe fortiſſimum, ad opinionem meam ſubruendam, ex Ejuſdem *Magni Viri* deciſione quaſi; quod ad *Cap.* 43: 3. inculcatum. *Equidem verum eſt Cl.* BOCHARTUM ARABES *illos* SABÆOS *incolas* ARABIÆ FELICIS, *cenſuiſſe ortos* JOCTANE HEBERI FILIO; *ſed nullo modo mihi perſuadeo, rem ita ſe habere.* ARABIA *tota, tam* FELIX, *quam* DESERTA, *ceſſit poſteris CHUSI: eſt id rationi & analogiæ rerum plane conſentaneum. Poſteri* JECTA-

TANIS *ſedem ſuam habuerunt ad* ORTUM SINUS PERSICI; *& quidem* SABÆI JECTANE *orti*, *in Carmania*. His poſitis, ita in me ipſe inſurgo. *In hac jam manifeſta Magnorum Virorum diſſenſione*, *nimis ſecure illa* COLONIA JOCTANIDARUM *in* ARABIÆ FELICIS *ſedes immiſſa inculcatur*; *atque tamquam* CERTISSIMUS FUNDUS SORORIÆ *duarum dialectorum* CONSANGUINITATIS, *identidem oggeritur* Ne ſeverus Adverſarius quidem fortiora arma quatere aut vellet, aut poſſet, ad ea quæ de *Joctanidis* cum *Bocharto*, *Spanhemio*, aliiſque principibus Viris ſuſtineo, impetenda.

K. Huic *Claſſi* ſubjunxi *congeriem* quandam *Criminationum*, inter quas, Divina gratia, lætus, & alacris, curſum pro *Dignitate Hebrææ Linguæ* ſuſceptum inde a viginti retro annis perſequor. Verba mea iterum appoſuiſſe e re fuerit. *Duodecimo mea ipſius vineta cædam*, *atque viam hanc* HEBRAICA *ex* ARABICIS *novo lumine perfundendi*, INIQUAM, IMPRUDENTEM, PERICULOSAM *eſſe arguam*. *Ab* alia *multa* indignitate.

1. Per eam utique HOMINIBUS PROFANIS anſam porrigi *cuncta luxandi*, *& ſuſque deque miſcendi*.

2. *Per eam quoque quodammodo* DELIBARI *quicquid eſt præſtantiſſimarum*, *atque in Eccleſiis* RECEPTARUM, VERSIONUM SACRI CODICIS; *quaſi non ſatis accuratæ ſint*; MAGNISQUE ET MULTIS DEFECTIBUS *& ipſæ laborare debeant*; *quum Hebraicæ Linguæ cognitionem Hodiernam* TANTIS *adhuc* DEFECTIBUS *premi contendatur*.

3. *Per eam* DETRAHI *&* DEROGARI MERITIS *Excellentium Virorum*, *qui nobis rem Hebraicam egregie ornatam*, *& percultam*, *dederunt*.

4. *Per eam* NOVATURIENTIBUS *ingeniis* LATAM PORTAM *pandi*, *ad quidvis e quovis eliciendum*, *& ſine*

Digitized by Google

modo ac modeſtia graſſandum.

Adjeci ibidem, quin exemplis firmavi, querelas a Cl. *Guſſetio* miſſas adverſus *Scaligeros*, *Salmaſios*, *Bochartos*, *Hottingeros*, *alioſque Orientalium Linguarum Antiſtites*; quorum ſplendidæ pollicitationes in fumum fere vaneſcant, ſi propius acceſſeris: eorumque *emendicatas ex Dialectis Orientalibus ſignificationes* excuſſeris.

A Colluvione turbida in iſtam Dialectum invecta. L. Inde denuo *Dialectum Arabicam* IMPURITATIS, præ *Chaldaica* & *Syriaca*, incuſans, ob COLLUVIONEM verborum Noviciorum, quæ *Perſæ*, *Turcæ*, alii Raptores gentium, invexere; ſtudium noſtrum proſcribo, ut *operoſum*, *moleſtum*, *difficilibus* NUGIS *plenum*, & jam non *Theologis* ſolum, ſed & *Philologis*, *Virilia ſapientibus*, *indignum.*

Quid jam Ao. 1737. diſcuſſum contra Cl. Guſſ. XVII. Quum hoſce ictus mihimet imponerem publice, ut cordatus veri veſtigator, omnia illa tela expromſi, quæ vel deſtricta jam, calamo, lingua; vel in cujuſquam Pharetra adhuc abdi forte poſſe, ſuſpicabar. Non videbatur vel decens, vel juſtum, ut *Guſſetianas Rhetoricationes*, ſatis refutatas *Diſput.* IV. præſertim *Par.* L. LI. LII. de novo refellendas ſumerem; aut quanta vis abſurditatum in iis contineretur, ulterius enudarem. Objecerat *Dialectorum* ille impugnator, & *Metaphyſicæ Hebraizandi Viæ* propugnator animoſiſſimus, *Hebræam Linguam* MATREM *eſſe* DIALECTORUM *iſtarum*, *nec ab iis verba voceſque deſumſiſſe*; *aut ab iis fari didiciſſe. Fontem eſſe*; *ac purioribus proinde aquis Eam fluere.*

Viri manifeſtus paralogiſmus. Producenda hic fuit illa vetus, detrita, & obſolefacta, cavillatiuncula, toties revicta a Viris Doctis, ut ne audiri quidem amplius debuiſſet.

Hoc me movit, ut eam paucis hiſce exciperem; prout legere eſt *tom. II.* Orig. p. 111. 112. *In hac Capitali, ut vulgo putatur, Objectione, tam parum Roboris, tam multum*

tum Confuſionis, & ignorationis Elenchi; *ut qui ea deinceps uti volet, ſcire debeat, ſe jam non* plumbeo pugione *pugnaturum, ſed* pictis armis *eſſe luſurum.*

Oſtendi dein verbulo, ne pugnare quidem *Matrem eſſe*; *Fontem eſſe*; cum ope per *Filias*, vel *Aquas*, inde derivatas, refundenda. Miſſas tamen facere jubens *imagines*, & *Metaphoricas locutiones*, quæ rem obſcurent magis, quam illuſtrent; ſimpliciter quid per *Matrem eſſe*, & *Fontem*, ex mente Cl. *Guſſetii*, intelligatur, diſpiciendum eſſe dixi.

Inſinuavi, id Eum voluiſſe; *quicquid certi habet Lingua Hebraica, id ipſam in* SUO SINU, *propriiſque in viſceribus*, SERVAVISSE: *ergo a peregrinis abſtractam eam, redire in ſe ipſam*, & SEMET IPSAM INTERPRETARI *poſſe ac debere.*

Subjunxi judicium de *Paralogiſmo* manifeſto in hæc verba. *Nunquam quicquam, ſpecioſo ſub colore, repugnantius & ab omni ſpecie veri abhorrentius, dictum. Tantundem hoc eſt ac ſi quis rotundis verbis aſſeveret*, UNIVERSA LINGUA HEBRÆA IN BIBLIIS CONTINETUR. NIHIL *nec injuria temporis, nec fatis gentis* INDE DEPERDITUM. NULLÆ *ejus* SIGNIFICATIONES OBLITTERATÆ. *Etiam* PRIMARIÆ *omnes* NOTIONES *in Vet. Teſtam.* OCCURRUNT. *Ejus* abſurditates *graviſſimæ.*

Qui omnia hæcce, quin plura adhuc, multo abſurdiora, ex hac *inſtantia Guſſetiana* redundare cernebam, ea propoſuiſſe idem cenſui tunc temporis, i. e. A°. 1733. quod confutaſſe: atque ſic leniter concluſi: *Hoccine appellabimus Materiam ſuam intelligere? an potius prima ejus Principia negare? contra quos diſputare vetat vulgare dictum.*

XIX. Profecto qui *quatuor* illa *conſectaria* leviter modo expenderit, confeſtim ſentiet, ea tam procul ab omni Ratione, & Experientia, abire, ut nihil inde longius re- *Nunquam dubitatum a*

Cl. Guſſ. quin Hebræa Ling. genti fuerit Vernacula.

repulſum dari queat. *Guſſetium* ipſum, qui *Linguam Hebræam Matrem* vocitat & *Fontem Dialectorum* noſtrarum, id, ſi viveret, agniturum, tam certo confido, quam ſcio Eum *nunquam dubitaſſe*, cum omnibus ſuis *imaginibus luminoſis*, qua ſibi aliiſque *lumen* ademit, *quin* LINGUA BIBLICA HEBRÆÆ GENTI FUERIT VERNACULA, in *Ægypto*; in *Deſerto Arabiæ*; in *Terra Sancta*, ad *Captivitatem Babylonicam* uſque; quin & ulterius.

Hoc autem qui agnoſcit, & quis quæſo unquam hoc ante noſtra hæcce tempora *in Dubium revocare* ſuſtinuiſſet? vel invitus concedat neceſſe eſt, nihil *quatuor* illis *poſitionibus*, quibus Cl. *Guſſetium* ad incitas adegi, repugnantius excogitari poſſe.

In opere Belgico ea dubitatio primum injecta Ao. 1736. ad Syſtema Metaphyſicum fulciendum.

XX. Sperabam, his ita a me ad Muneris Publici defenſationem diſcuſſis, & cum debita erga diſſentientes veneratione transactis; me faventiores judices, & curſum benigniorem, in *Originibus* proſequendis, habiturum. Non licuit mihi tam felici eſſe. Nam poſt *Quintam* meam ad *Origines diſputationem*, anno 1736. prælum tertia vice liberans *Commentarius Belgicus de Chriſti Ortu ex Davide*, *Lib.* I. *Cap.* XVI. *Sect.* LIV--LXII. p. 270--274. per Excurſum adverſus Commendatores *Dialectorum Orientalium* iſti *Editioni* inſertum, jacere cœpit fundamenta novæ plane ſubſtructionis, quam in *Diſſertatione de Lingua Primæva* ad faſtigium nunc eductam cernimus.

Sic Faſtigium Guſſetianiſſimo impoſitum necopinato.

XXI. Iſta inſertio Clariſſimum *De Dieu*, & *Originationem* ejus *Arabicam* de Vocabulo שלה *Schilo*, impetens, totam *Cauſam Arabizantium*, per latus illud, confodere ac conficere conatur; atque talem ei ſecurim injicere, quæ Ramos ſimul & Radices iſtius ſtudii moleſtioris concîdat.

Nova

XXII. Inſinuatur ergo in illo *Excurſu* ab Honoratiſſ. Auctore

I.

1. *Gratis hactenus ſuppoſitum* ab omnibus, *Linguam Hebræam, qua Sacer Codex conſcriptus, fuiſſe* DIALECTUM; id eſt, ſecundum Viri Clariſſ. definitionem, VERNACULAM *alicujus populi.* objectionum *moles*, *inde* ſy-

2. *Id ut necdum probatum, ita* NUNQUAM PROBANDUM *fore.* ſtemati *noſtro ruinam*

3. *Demonſtrari etiam non poſſe Regionem, ubi hæc Lingua unquam* POPULARIS *fuerit.* *meditans.*

4. *Multa dari Argumenta Probabilia, quibus confici queat primam, & communem, Linguam Poſtdiluvianam, fuiſſe Priſcam Arameam; unde reliquæ Linguæ omnes proceſſu temporis profluxerint.*

5. *Abrahamum e Meſopotamia in terram Canaanis traductum, abſque ullo dubio Aramæum ſuum Sermonem cum Cananæo, cui magna cum Phœnicio affinitas, commutare debuiſſe.*

6. *Jacobum, & Filios, qui in Paddan Aram Aramæam Linguam imbiberant; reverſos in terram Canaän, Cananæam quoque Linguam adſciſcere coactos: quemadmodum & in Ægypto Ægyptiam.*

7. *Hinc liquere*, CITRA IDONEAM PROBATIONEM *vulgo teneri*, SERMONEM HEBRÆO-BIBLICUM *ulli unquam genti* VERNACULUM *fuiſſe.*

8. *Cenſendam potius* LINGUAM BIBLICAM *ut* PLANE SINGULAREM, *atque ab uſu populari diſcretam; qua Deus Oracula ſua & præcepta ſacratiſſima voluerit conſignari; forte, quod quoties cum Patriarchis colloqueretur, hac Lingua uſus fuerit: nec non, ut hoc pacto Ethnici a Sacris hiſce legendis arcerentur.*

9. *Non ambigendum propterea, quin Deus hanc Linguam, qua Linguam, a populari uſu diremtam, Providentia ſua illibatam, atque* A DEFECTIBUS *intactam conſervaverit, æque ac ipſa Biblia Sacra: idque a Domino*

C *in-*

inſinuari Matt V: 18.

10. *Imprudentiſſime proinde facere eos, qui de* LINGUÆ HEBRÆÆ DEFECTIBUS *tam large loquantur; deque* OBSCURITATE VOCUM HEBRÆARUM, *ex illis* DEFECTIBUS *oriunda.*

11. *Verendum eſſe, ne qui ita loquantur de* MAGNO DEFECTU, *quem paſſa ſit* LINGUA HEBRÆA, PONTIFICIIS *argumenta miniſtrent, (citra intentionem tamen, ut ſperatur) adverſus illibatam* INTEGRITATEM SACRÆ SCRIPTURÆ, *ejuſdemque clariſſimam* EVIDENTIAM.

12. *Si auxilium quæratur apud* ARABES, *ad* DEFECTUS *illos* RESARCIENDOS *ex* DIALECTO *Arabica (quæ tamen* ANTIQUITATE *Græcam Linguam æquare nequeat, ſi verum ſit Homerum & Heſiodum mille & centum annos ante æram Chriſti ſcripſiſſe) merito rogare* ISAACUM VOSSIUM, *cur* DEFECTUS & OBSCURITAS SACRÆ SCRIPTURÆ *(nam ſi* LINGUA SACRÆ SCRIPTURÆ DEFECTU *laboret, &* OBSCURITATE, *ipſam quoque* SCRIPTURAM *certiſſime* DEFECTU & OBSCURITATE *laborare) non potius reſarcienda judicetur ex verſione LXX. Virali? Merito item rogare* PONTIFICIOS, *cur non* DEFECTUS *illi, &* OBSCURITATES, *tollantur ex* TRADITIONIBUS, & DECISIONIBUS *Pontificis Romani ac Conciliorum? Has* AUCTORITATES *profecto non minus* SANCTAS *dicturos eos, &* INFALLIBILES, *quam* ARABES *ſint in ſua* LINGUA.

Directe Anteceſſores *mei impetuntur.*

XXIII. In quem cuncta hæc recidant, & quem, ſi non feriant, petant tamen, rerum noſtrarum non ignari vident, ſentiunt, palpant. Clauſulam interim adjectam, ne nimis mea peti pelluceret, eſt quod læter. Ea ſic habet. *Hinc Lector Veritatis amans cernit, neutiquam approban-*

Digitized by Google

bandum, LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM DEFECTUUM *ſuſpectari*; *operamque dari ut* DEFECTIBUS *illis ex* ARABICA LINGUA *liberetur. Ac proinde Etymologia Vocabuli Schilo ex* ARABICA LINGUA *per Doctiſſimum de Dieu allata nullum locum meretur.*

XXIV. Non poſſum quin hic publice adorem Providentiam Numinis, admirabiliter curantis, ut *Optimæ Cauſæ* tanta præſidia, ac firmamenta, accreſcerent, eo ipſo temporis articulo, quo graviſſime impetitur. *Id mihi valde honorificum.*

Grates quoque candidas, & ſinceras, perſolvo Principi *Theologo*, quod aciem hanc adverſus *Clariſſimum de Dieu* dirigens, non tantum nomini meo parcere voluerit, ſed etiam imperitas voculas, & criminatiunculas multorum, quaſi *Novam* quandam *Viam*, a nemine antea calcatam, *ingreſſus eſſem*, auctoritate ſua comprimere, atque extinguere, dignatus ſit. Exploratiſſimum ſcilicet habet, quicquid *Schultenſius* ad ulteriorem illuſtrationem *Hebrææ Linguæ* ex *Dialectis* meditatur, ac commentatur, id fieri ad illuſtria magnorum Virorum veſtigia, qui ſeculo XVI. & XVII. floruerunt; quales *Scaliger*, *Salmaſius*, *Erpenius*, *Golius*, *De Dieu*, *Hottingerus*, *Bochartus*, *Seldenus*, *Waltonus*, *Caſtellus*; quales item *Mercerus*, *Buxtorffii*, *Coccejus*, *Altingius*, alia numeroſiſſima Decora orbis Eruditi; qui *Dialectis*, cum *Chaldaicæ* & *Syriacæ*, tum *Arabicæ* quoque, grande ſemper pretium ſtatuerunt: indeque *Linguam Hebræo-Biblicam* majori lumine perfundere, quiſque pro ſua virili, laborarunt.

XXV. Juſti ergo Viri officium implevit ſumme venerandus Auctor Commentarii de *Chriſti ortu ex Davide*; qui ſuperiorem illam aciem non directe adverſus me eduxerit, ſed adverſus omnes in univerſum *Arabizantes:* quin imo adverſus omnes, quicumque unquam *Dialectos* ullas, non *Arabicam* nunc ſolum, ſed etiam *Chaldaicam*, *Syriacam*; *Juſtitia laudabilis qua uſus vir Clariſſ.*

cam; itemque *Samaritanam*, *Æthiopicam*, *Thalmudico-Rabbinicam* excoluere, atque ad LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM illuſtrandam, quiſque pro menſura cognitionis ſuæ, in ſubſidium vocarunt. Quinam illi? Omnes in univerſum *Veteres* ac *Recentiores*, qui manum *Scripturis Sacris* interpretandis admoverunt; *Judæi* peræque ac *Chriſtiani*; ab *Iſaaco Voſſio* ſi diſceſſeris, qui *Clavim Cognitionis* illius funditus deperditam pronuncians, ex ſolis LXX. ſapiendum: itemque ab illiberalioribus inter Pontificios, qui ex uno *Vulgato*, exploſis *Rabbinis*, *Dialectis*, & reliquo apparatu *Eruditionis Orientalis*, hauriendum eſſe, indignante *Orbe Erudito*, contenderunt.

Omnes poſitiones Viri Clariſſ. non tam me ſpectant.

XXVI. Nihil aliud me aſſumere, ad *Controverſiæ novæ conſpectum* aperiendum, quam quod *Cauſa* ipſa jubet, prudentes ante meam hanc ſcriptionem perceperunt. Imprudentes, & minus periti, ut idem intelligant, opera navanda.

1. Suppoſitum hactenus ab omnibus: quid dico ſuppoſitum? ab omnibus conſpirante conſenſione pro *Indubitato* habitum, *Linguam Hebræo-Biblicam Hebrææ* genti tam *vernaculam*, domeſticam, ac quotidiano ſermone uſurpatam fuiſſe, quam *Aramæis* fuit *Aramæa*, atque *Arabibus* etiamnum eſt *Arabica*.

Quam univerſum orbem Eruditum.

Adverſus hanc Sapientum, inſipientum; *Judæorum*, *Chriſtianorum*; doctorum, indoctorum; communem calculum inſurgere cœpit Celeb. *Diſſertator*, & poſtquam Ipſe ultra ſexaginta annos eam tenuiſſet, pro eaque ſolide diſputaſſet *Noviſſima* adhuc *Editione Commentarii de Veris Viis Dei*, quæ Anno 1731. prodiit, *Pag.* 721--728. in nota Erudita ibidem ſubnexa; a ſemet Ipſo Anno 1736. deſcivit; & *gratis* id hactenus tum *a ſe*, tum *ab aliis* omnibus, *Suppoſitum fuiſſe*, aſſeverat.

Id demonſtratur

Non *mea* ergo hic *Cauſa* agitur; non Lis aliqua privata controvertitur ſed *Controverſia* hæcce univerſum *Orbem Chri-*

Digitized by Google

Chriſtianum, una cum *Judæorum* natione, amplectitur; quibus, æque ac mihi, *Nova* exoritur *Diſceptatio*; qua tenditur, fieri poſſe ut *Capitalis* nos *Error* implicuerit, quum LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆÆ GENTI VERNACULAM FUISSE dubitationi credidimus exemtum. *In* Prima.

2. Hanc tamen ſententiam, quam una omnium vox, una mens, firmat, quum Vir Clariſſimus *nec probatam* adhuc, *nec unquam probandam* pronunciat; iterum non *meam rem* agi apparet, ſed *publicam*; quando omnes unum in circum concluduntur, qui hac de re vel judicarunt olim, vel nunc judicant, vel in poſterum ſunt judicaturi. Ego quidem, niſi hoc probare poſſem, non exiſtimarem me ullum habere *Fundamentum*, ſuper quo *Revelationem Iſraëlitis per Moſen & Prophetas factam* poſſem conſtabilire. Sed nihil anticipandum; neque ad talia adhucdum deſcendere nunc licet. *In* Secunda.

3. Quum *tertio* additur, *detegi & demonſtrari non poſſe Regionem, ubi hæc* LINGUA *unquam* POPULARIS fuerit; video aliquid moveri, quod communem *Judæorum* & *Chriſtianorum* curam tangit. Mihi equidem in *Terra Canaänis Linguam Hebræam*, ut *Vernaculam*, viguiſſe, tam liquido conſtat, quam liquet, *Judaicæ Genti Eloquia Dei credita fuiſſe*. In *Deſerto*; in *Ægypto*; in *Patriarchali Domo Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*, eandem obtinuiſſe, tam parum, mihi quidem, ambigere fas eſt, quam de ipſa *Hiſtoriæ* Veritate. *In* Tertia.

4. Quæ *quarto*, *quinto*, & *ſexto*, numero ſupra expoſuit Vir Celeberr. iterum manifeſto ad *univerſam Rempublicam Literatam* pertinent. Quid mihi ad hæc, & de his, ſedeat, necdum promere tempus. *In* Quarta, quinta, ſexta.

5. In *theſibus* numero *ſeptimo* & *octavo* propoſitis, IDONEA PROBATIONE *ergo deſtitui* VULGAREM *In* Septima & Octava.

SENTENTIAM, *quod* LINGUA HEBRÆA JUDÆIS VERNACULA *fuerit: rectiusque* LINGUAM *illam haberi pro* DIVINA, *atque* AB USU POPULARI DISCRETA; non magis *meam Fidem* verti video, quam totius *Eccleſiæ*; cui hicce *Articulus* hactenus inauditus. Plura nunc non addo; & imbecillitati humanæ ingemiſco.

In Nona. 6. Quum *nono* ſubnectitur, *non ambigendum quin Deus* HANC LINGUAM *Providentia ſua* ILLIBATAM *ſervaverit*, *atque a* DEFECTIBUS INTACTAM, (i. e. *ut nihil de Thematibus*, *derivatis*, *formis vocum*, *perierit: nullæ ſignificationes obliteratæ ſint*: *omnes primariæ etiam poteſtates Radicum adſint:*) *æque ac* IPSA BIBLIA SACRA (i. e. *Veritates iſta Lingua traditæ*) *Idque a Domino intendi: Matt.* V: 18. non mihi tantum *Religio* incutitur, ſed *Univerſæ Eccleſiæ*; in cujus ſinu, ac communione, talia effata nemo unquam, quod ſciam, promulgavit, nedum ſanctiſſime credenda commendavit.

In Decima. 7. Quod *decimo* infertur, de SUMMA *itaque* IMPRUDENTIA *eorum*, *qui de* LINGUÆ HEBRÆÆ DEFECTIBUS *tam large loquantur*, *deque* OBSCURITATE *vocum ex illis* DEFECTIBUS *oriunda*; propius videri poſſet in me reflexum, & intortum: ob *Orationem Inauguralem Franequeræ* habitam: itemque *Opuſculum* iſto *titulo* editum. Revera tamen nihil eſt in iſta criminatione ſic ſatis ſevera, quod me vel proprie, vel præcipue, attingat. Pertinet ea ad omnes *Philologos*, quotquot unquam *Linguæ Hebrææ* curam aliquam impertierunt. Pertinet ad *Theologos* & *Commentatores* omnes, qui *Defectum* idoneæ lucis, & *Obſcuritatem* in multis magniſque locis *S. Scripturæ*, ingenue profitentur. Pertinet ad univerſam *Eccleſiam*, quæ *Luminis* uberiorem menſuram & expectat a Patre Luminum, & ardentibus votis

Digitized by Google

depoſcit. Quæ pro mei defenſione, ſi opus ſit, hic dicere poſſim, & debeam, necdum perſequor.

8. Quæ *undecimo* ſubſertæ *inſtantiæ* graviores; verendum eſſe *ne qui ita loquantur de magno damno*, *&* *Defectu*, *quem paſſa ſit Lingua Hebræa*, *Pontificiis velificentur*; &c. &c. non me feriunt, ſed omnes in univerſum Eruditos, ineruditos; qui hactenus crediderunt, & ſemper, ſi quid video, credituri ſunt, LINGUAM HEBRÆAM BIBLIORUM *Hebraicæ Genti* VERNACULAM *fuiſſe*: & *Noviciam Hypotheſin*. quod TOTA ſit DIVINA, atque *ab humano uſu ſegregata*, Cl. ejus Inventori lubenter relinquent. Si aliter *Integritas S. Scripturæ*, ejuſque *Evidentia*, obtineri nequeant, adverſus *Pontificios*; vereor ſane, ne brevi opima de *Theologis* noſtris ſpolia *Romam* deportentur. *In* Undecima.

9. Reſtant, quæ *Duodecimo* numero enotatæ illationes, de Quæſtionibus ab *Iſ. Voſſio* pro LXX. a *Pontificiis* pro *Vulgato* obmovendis. Eæ jam ad *Arabizantes* propius pertinent; ac propterea *meum* nunc fuerit, pro *Anteceſſoribus* meis Æſtumatiſſimis, meque ſimul, rogaſſe quid ſibi velit hic diſputandi modus? *Propius quid in* Duodecima.

Primo quod ad *Iſ. Voſſium* attinet, non Magnus fuiſſet in orbe Erudito, ſi ita ratiocinari ſuſtinuiſſet, *Vos Scaligeri*, *Salmaſii*, *Grotii*, *Erpenii*, *Golii*, *Hottingeri*, *Bocharti* &c. *contenditis*, *ſignificationes illas quas Injuria temporum Linguæ Hebrææ ſubtraxit*, *ex Dialectis Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, *reliquiſque Cognatis*, *poſſe*, *&* *debere*, *reſtitui. Sed quidni Ego Defectus iſtos ex Græca potius Verſione expleam?* Hæc δὶς διὰ πασῶν diſſonare, nemo non ſentit.

Secundo, quod ad *Pontificios*; veniant modo, atque ita me, cum *Anteceſſoribus*, quorum veſtigia venerabundus proſequor, aggrediantur: *Vos non jam Hebraïzantes ex ſolis Rabbinis*; *ut Veſtri Reformatores* : *ſed*, *nova quadam*

ha-

hæreſi, *proh pudor! Arabizantes*, *qui Linguam Hebræam jucundis radiis colluſtrari poſſe ope* DIALECTORUM ORIENTALIUM *jactatis*; *ad* DIGNITATEM *&* MAJESTATEM *ſermonis Biblici amplificandam*; *quidni ad* VULGATUM *nobiſcum acceditis potius*; *atque* TRADITIONI, *&* DECISIONI *Pontificis Romani*, *totum hocce negotium committitis*, *quam ad Chaldæos & Arabes Raptores decurritis?* Veniant, inquam; & videant, quid reſponſionis ablaturi ſint. Non eſt tamen quod ſperem, unquam iſtam objectionem ab illa parte nobis adventuram.

Quid bis Ao. 1736. emiſſis mente mea volutarim. XXVII. Quum omnia hæcce, quæ tam directe *Univerſum orbem Literatum*, ac fundamenta omnis Eruditionis ſacræ & profanæ ſimul, tangunt, Anno 1736. in lucem viderem exiiſſe, ut *Guſſetianiſmus*, cui firmamenta ſubducta autumabam *Diſput.* IV. & V. ad *Origines*, altius adhuc conſurgeret, & Divina velut Auctoritate ſeſe ſuffulciret: oculis meis credere vix potui: quin ſæpiuſcule lecto, ac relecto, iſto Excurſu, a me impetrare non valui, ut intendi, quod verba præ ſe ferre videbantur, exiſtimarem. Quamvis ergo multa me, & ad *Libros* a me editos, & ad *Profeſſionem Ling. Orient.* & ad *Veritatem* ipſam defendendam, hortarentur, atque adeo ſtimularent; ut *Opiniones* iſtas Examine honeſto, ac modeſto, diſcuterem, placidius tamen, & prudentius, judicavi, ad præludia hæcce nihil adhuc a mea parte movere.

Rationes quæ ſilentium tunc ſuaſerint. Rationes quæ animum, ſponte huc acclinatum, hoc in conſilio continerent, ac defigerent, graves aderant.

I. Vehementer verebar, ne forte venerandi *Theologi* ſententiam, ac mentem, non ſatis aſſequerer, unde periculum erat, ne aliud Viro Clariſſimo attribuiſſe ſtudio, aut adfectu, viderer, quam Ipſe intenderat.

II. Subverebar quoque, ne forte Vir Honoratiſſimus humani quid in hac *Velitatione* paſſus nonnulla ſcripſiſſet,

quæ

Digitized by Google

quæ alteris curis ipſe ſubjicere mallet.

Silentii rationes ſex recenſentur.

III. Sperabam quoque, procedente opere *Originum Hebræarum*, id lucis, & demonſtrationis, ſe oblaturum, quod aſſenſionem diſſidentium, quos a ſua etiam parte *Veritatem quærere* perſuaſus ſum, facile ſibi conciliaret, ac devinciret.

IV. Aliquid, præfiſcini! fructus mihi promittebam a *Commentario in Jobum*; qui iſto tempore in lucem exibat. Itemque ab *Inſtitutionibus Grammaticis*, quas tunc evulgabam.

V. Accedebat, quod *Velitatio* hæc *Belgice* emiſſa; & quidem in *medio Libro*, non nominatim in me, ſed in Cl. *de Dieu*; vix aliis innoteſcere poſſet, quam qui *Controverſiæ ſtatum* inter me, & *Metaphyſicos Boblianos*, ac *Guſſetianos*, circa *Viam Hebraïzandi*, cognoſcentes; de hac ipſa *inſertione* commoniti fuiſſent.

VI. Denique, quum *Theſes* omnes, ut ſupra demonſtratum, non me magis ferirent, quam *Literatam*, qua late patet, *Rempublicam*; quin & *Eccleſiam* univerſam: non erat hactenus, cur Ego potiſſimum in hanc arenam deſcenderem: quamvis in eam quodammodo devocari viderer.

Tantum Ao. 1737. acies difficultatum & criminationum, quam ipſe eduxeram Ao. 1734. profligandæ reſumitur.

XXVIII. Ne tamen *Profeſſioni* meæ, & Muneri, penitus deeſſem, *Commentario in Jobum* ſub finem *Anni* 1736. emiſſo, ad *Origines Hebræas* denuo accingor, *A*°. 1737. *April.* 3. ut arma, quibus memet oppugnaram, retunderem, atque difficultates *Anno* 1734. a me ipſo nexas diſſolverem.

Hoc ſine ullis artibus ad leges *Veritatis*, & juſtæ *Criticæs*, a me factum, vel Adverſarii mei fateantur neceſſe eſt. Capite I. *Viæ Regiæ pag.* 34. ad eorum judicium provocare auſus fui; hiſce verbis: *Si illa refutatio parum ſolida, cur non meiſmet jaculis configor: cur non meiſmet reſponſionibus convictus, & conſtrictus, arguor?*

Ut juſtam eſſe fiduciam *Cauſæ veritatis* appareat, atque ſub conſpectum veniat omnium, qui *Controverſiam Lingua-*

Digitized by Google

rum Orientalium Defenſoribus motam examinare volent, ſtrictim exponam, cum reflexu ad *pag.* 11-13. ſupra; quæ in *Diſputatione.* VI. ad *Origines*; ſive *Capite* VI. *Tom.* II. latius deducta.

Confutatio objectionis ab IMPURITATE Ling. Arab.

XXIX. A. Principe loco oſtendo *Heberi fontes*, quicquid vel imperiti, vel & minus quam par eſt periti, dictitent, *in Arabia neutiquam turbatos eſſe*, ſed *puritatem*, & *Limpiditatem priſtinam obtinere*; etiam in iis ipſis *flexionibus, formationibuſque*, quæ prima ſpecie longiuſcule ab *Hebræa norma* & *forma* receſſiſſe videntur. Sigillatim:

1. In *numero* conjugationum.
2. In *pluralibus* perfectis.
3. In *pluralibus* imperfectis, ſive fractis.
4. In *Caſuum* variatione.
5. In tota ratione *punctorum vocalium*, & *Analogia* per univerſum corpus *Linguæ* fuſa.

Univerſa *Clavis Dialectorum* a me Anno 1732. in lucem edita, hanc *Linguæ Arabicæ integritatem*, & *ſororiam cum Hebræa Analogiam*, tam liquide demonſtratam dedit, ac pervictam, ut nemo qui *Clavim* iſtam examinare poſſit, aut velit, de ea dubitare queat. Si vana gloriatio, revinci diſcupio. Datur *orbis Eruditus.* Dantur in *Belgio*, in aliis Regionibus, qui *Arabice* intelligant. Quid jam facilius, quam convictum, quin confuſum, dare inanem PURISSIMÆ ANALOGIÆ ARABICÆ, *cum Hebræa admirabiliter concordantis*, jactatorem; ſi vere iſta *Dialectus* tantopere degeneravit, atque in *peregrinam & Barbaram impuritatem* defluxit.

Ab Immenſa copia *vocum.*

XXX. B. Ad ſecundam objectionem, *immenſam dari copiam verborum in Dialectis*, præſertim *Arabica; quæ a ſermone Biblico abſint:* repoſui, *valituram argumentationem, ſi* LINGUA HEBRÆA, *quanta quanta olim viguit, in* SACRO CODICE CONCLUSA *foret.* Hoc tantam

tra-

trahit abſurditatem, atque adeo alienum eſt a ratione, ut apponere non dubitarim, *Neminem id, cui aliqua publici, vel & ſuæ in publico exiſtimationis, Reverentia, adfirmaturum.* Non potui, non debui, aliter ſcribere; neque adhuc a me impetro, ut id intendi a *Doctiſſimis Theologis* credam: quando tendunt LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM INTEGRAM, ILLIBATAM, & *nullis* DAMNIS, DEFECTIBUSQUE, *injuria temporum, adfectam, conſervari.* *Omnes voces Ling. Hebrææ in Bibliis contineri abſonum, & omnem abſurditatem ſuperans.*

Implicuit *S. Scripturæ* nobiſcum Reverentiſſimos Viros illud *Hebræo-Biblicum:* quaſi *Bibliorum dignitati* aliquid *detereretur*, ſi ipſa *Lingua Hebræa* vel tantulum *detrimenti* paſſa eſſet. Iſto quidem pacto, jam ſtatuendum quoque erit, *univerſam Linguam Græcam in Novo Teſtamento contineri; & nihil de ea intercidiſſe.* Contra Cl. *Drieſſen.* jam diſcuſſa *quæſtio* dicam, an *Logomachia? Vindic.* p. 194. 195. ubi quum hoc in me telum conjeciſſet, „ LINGUAM BIBLICAM *per ſe eſſe* PLENAM, *cujus omnis conſtructio divina ſit; Auctorem habens Spiritum S.*„ Ita illud retudi, & retorſi. *Spiritum S. Auctorem eſſe verbi, & nos tenemus. Omnem ejus* CONSTRUCTIONEM *eſſe* DIVINAM *concedo: ſi per* CONSTRUCTIONEM *intelligatur* CONSCRIPTIO: *qua Sacri ſcriptores ſive bona, ſive mala, narraturi, & ſive bonorum ſive malorum hominum dicta reddituri, nihil conſignaverunt, niſi Sp. S. Auctore: ita tamen ut idem ille Spiritus cuique* SCRIPTORI *ſacro ſuum relinqueret Genium; ſuum dicendi characterem; ſuumque adeo* STILUM HUMANUM; *in* LINGUA NON UTIQUE PER SE DIVINA; *ſed* HUMANA & HOMINIBUS HEBRÆIS VERNACULA. *Paralogiſmus Cl. Theologi.*

Adjeci *pag.* 196. cum moderatione debita: *Qui hoc negaret, Fundamenta ipſa Revelationis & Veritatis in periculum adduceret: atque aperto ſeſe Fanatiſmo implicaret.* Cl. *Drieſſenium huc progreſſum, quum ait, quae* LINGUA *per ſe* *Cui occurritur, detecta erroris*

D 2 *ſenſa.*

Digitized by Google

ſe PLENA *eſt, non crediderim; ſed exiſtimem, Eum nihil aliud voluiſſe, quam Voces quæ in B bliis continentur, ſufficere ad Diviniſſimum Eorum argumentum explanandum. Atqui eodem jure* LINGUA GRÆCA *N. T. per ſe* PLENA *dici poteſt, & debet* &c. &c. Plane fieri nequit, ut inſignes *Theologi*, quum DIVINAM appellant LINGUAM HEBRÆAM, aliud quid collineënt; quam in *ſermone Biblico* NULLUM *eſſe* DEFECTUM: quum תורת יהוה תמימה *Lex Domini perfecta ſit.* Hoc ut religioſiſſime tenendum; ita ipſa *Religio*, *Veritas*, *Ratio*, credere jubent, HEBRÆAM LINGUAM, *qua* LINGUAM, NON INTEGRAM i. e. OMNIBUS *ſuis* PARTIBUS & MEMBRIS PLENAM *in ſacro Codice aſſervari:* quippe quod manifeſtiſſimam implicet repugnantiam; & infinitis abſurditatibus prematur.

Linguam *Hebræam*, *qua* Linguam, integram *id eſt* univerſam *exſtare in Bibliis*, *idfinite abſurdum.*

Repeto ergo, quod in *Diſput.* VI. citra cujuſquam læſionem poſitum, ad nervum *inſtantiæ* huic *ſecundæ* incidendum. *Maximam partem* LINGUÆ HEBRÆÆ *injuria temporum intercidiſſe* NUNQUAM QUISQUAM ERUDITORUM, *quod quidem ſciam, in dubium vocavit. Jam vero Lingua Arabica pleno fluit alveo, & Fluminis inſtar, aut Oceani, immenſas aquas, immenſam Vocabulorum Copiam, vehit. Nil mirum itaque, ſi integræ ſententiæ & periodi ita exeant; ut nihil ſimile in Bibliis reperiatur.*

Obſervatio maximi momenti.

Qui *Arabica* didicerunt, hanc ipſam *Linguæ opulentiam*, cum *puritate illibata* conjunctam, inter *admiranda providentiæ*, adorant, hæc enim ni foret, nunquam *Harmonia Dialectorum Orientalium*, *earumque cum Lingua Hebræo-Biblica ſuaviſſima concentio*, *conſenſioque*, ſatis elucere poſſet. Hinc vero, quamvis id pauci nunc intelligere videantur, revera pendet *Triumphus Biblicus*; quo quicquid eſt diſſenſionum circa *veritatem Hebraicam* dirimetur: atque omnis temeraria *Criſis*, ſuomet gladio jugulata, concidet. Sua ſibi lumina

Digitized by Google

mina obſtruunt, quin *Cauſæ Religionis* improvide officiunt, qui *Dialectorum lucem* excluſam, & extinctam, volunt.

XXXI. C. Graviſſimum *tertio* nodum, quem ex *pugna ſignificationum*, utraque in *Dialecto*, nexui; ita reſolvi. *A pugna notionum.*

1. Plerumque id *Lexicographorum* culpa accidiſſe; non *Linguæ*; quæ ſi enucleetur, & ad *Origines* reducatur, ſuaviſſimam ibi *Concordiam* deprendi, ubi maxima *Diſcordia* obtinere videbatur.

2. Differentiam illam enaſci fere ex *uſibus ſecundariis*, & *Metaphoris*; per quas *Contrariæ* ſæpe exiſtant *notiones*, etiam una eademque in *Dialecto*; vel *Lingua*.

Res nuper in *Capite* I. *Viæ Regiæ* Exemplis *Latinis*, & *Græcis*, adſtructa. *Caput* II. eandem longiore agmine ex iiſdem fontibus ita illuſtrabit; ut ne minimum quidem ſcrupuli hac parte cuiquam ſit remanſurum. Inde luce meridiana clarius conſtabit, quicquid hinc movetur difficultatum, ex *ignoratione*, vel *oblivione*, oriri *Rhetorices*, & *Literaturæ* interioris.

XXXII. D. Eadem reſponſio a me data ad *Confuſaneam* illam *turbam diverſiſſimarum notionum*, quibus *Dialectus Arabica inexplicabiliter laborare* videtur iis, qui e *Lexicis* de ea judicare volunt. Hoc tantundem eſt, ac ſi quis *Linguam Latinam* confuſiſſimam pronunciaret ad *Nonii Marcelli* gloſſas; *Græcam* ad *Heſychii*. Quam imperiti *Confuſionem* vocant, *Linguæ* gnari *Copiam* appellant, & *Divitias*, unde admirabilis dignitas effloreſcat. Non ambiget, qui legere modo dignetur *Tom.* II. *Orig.* a *pag.* 139. ad 149. In *Opuſculo de Defectibus* idem demonſtratum, & evictum. Addantur *Axiomata* Literaria, quæ nuper protuli *pag.* 57. & 62. *Viæ Veteris* & *Regiæ*. Si id vitio dandum foret *Dialecto Arabum*, atque iſtoc nomine *impura* pronunciari poſſet, in *Hebræam* quoque macula redundaret: quippe quæ ita fœcunda ſit, ut unum *Thema*, in uno *Bibliorum* volumine, ultra *triginta*, *quinquaginta*, plures, poteſta- *A confuſione earundem.*

Digitized by Google

tes nonnunquam exerat, atque *Arabicæ* copiæ nihil concedere reperiatur.

A turbela inde in Fontem ſacrum redundatura.

XXXIII. E. Ad inſtantiam *quintam*, *genus Originum noſtrarum eſſe vanum*, *vagum*, *turbidum*, *a puris Bibliorum fontibus procul habendum*, reverenter repoſui, & inſinuavi, noſtram *Methodum* unice tendere ad *Fontes Bibliorum*, & *Linguam Hebræam*, repurgandum a vagis illis ſignificationibus, hallucinationibuſque, quibus *Lexica* & *Commentarii* ſcaturiunt: non aliunde magis, quam quod *Dialectis* vel repudiatis, vel ignoratis, *Regiaque Via* deſerta, ad *tramites* itum fuerit, nullum unquam exitum daturos, ſed omnia magis magiſque confuſuros. Hoc tanta exemplorum copia demonſtratum dedi in omnibus meis ſcriptis, ut Literatis & Liberalibus ingeniis abunde ſatiſfactum confidam.

Si forte illiberalior aliquis addubitet, legat modo *Cap.* VII. *Tom.* II. *Orig.* & adſtupebit *infinitam vanitatem*, quam *Dialectorum* vel contemtus, vel neglectus, in *Linguam Hebræam* invexit. Mitto *vindicias* adverſus Cl. *Drieſſen.* eandem incudem tundentes. Etiam occaſio nunc data, dabiturque, idem illud copioſius adhuc evincendi; quando quæ *Guſſetianiſmus*, & *Metaphyſica Methodus*, hoc ipſo ſeculo miſcuit, ſub conſpectu ponetur: ad ſtuporem *Orbis Literati*, omniumque eorum, qui non effata magni alicujus Doctoris, vel auctoritatem humanam, ſed rationem, & demonſtrationem caſtiſſimam, Rebus hiſce præſidere cupiunt.

A diverſitate Gentis & Genii.

XXXIV. F. Difficultati *ſextæ*, a *diverſitate gentis*, *geniique* &c. ſic occurſum, *quatuor* reſponſionibus; ut nemini *Humaniori* hæſitatio ulla reſtare queat. Si tamen alicui minus ſatisfactum; talis jam *Campus* aperitur, in quo idem hocce plenius poterit diſcuti, atque ad convictionem diſſidentium liquidius adhuc demonſtrari.

XXXV.

Digitized by Google

XXXV. G. Ad *ſeptimam objectionem*, petitam a *volubilitate Linguarum*, & *proclivitate in mutationes*; ſecundum quam fieri non potuerit, ut *Arabica Dialectus* tam *pura* & *integra* manſerit, quam contenditur, dixi, hanc eſſe *unam omnium ut* GRAVISSIMAM, *ita* SPECIOSISSIMAM *inſtantiam*. *A volubilitate omnium Linguarum.*

Ea propterea accuratiſſime a me confutata, *gemino ſermone Academico*, in quo *Externæ* & *Internæ cauſæ illius integritatis, ab Origine haud degenerantis*, expoſitæ.

Eidem nervus omnis jam inciſus, *Diſput.* IV. contra Cl. *Guſſetium:* a *par.* XX. ad XLVII. pede preſſius collato, omnique *Argumentationis* hujus robore excuſſo. *Ei nervus jam inciſus ante.*

Non valde aut humanum, aut cordatum, tales reſponſiones alto ſilentio præterire, ac ſi nihil actum eſſet: & repetere modo atque identidem objicere aliquid, ſpecioſum illud quidem, & oculis præſtringendis aptum, ſed tamen *a Veritate alienum*; quin *ex ignoratione* ſola *Dialecti Arabicæ* profectum.

Sentio quid dicam: idem tamen publice iterum teſtificari ut debeo, ſic audeo, *ignorationem* ſolam *Dialecti Arabicæ* peperiſſe, atque etiamnum fovere, *præjudicatas* illas *opiniones* de ejuſdem vel *peregrinitate*, vel *impuritate*, quæ ab *Hebraica puritate* penitus deſciverit. *Ignoratio ſola ut peperit, ita fovet,*

Qui *unum* modo *annum fundamentis Arabicis* rite *percipiendis* impendere voluerit, de ejus *puritate*, & *ſororia* cum *Hebræa affinitate*, vel verius *conſanguinitate*, ne ſi velit quidem, amplius dubitare poterit. *Objectionem ſæpius revictam.*

Hæc *Evidentia Experimentalis*, qua AURUM, unde unde tandem effoſſum, AURUM eſſe, explorato tenetur, me impulit, ut in *præfatione Commentar.* ad *Jobum* hæc conſignarem. *Ajo itaque, arenam ſpargi, quando* DIALECTI, *ut totidem* DIVERSÆ LINGUÆ, *in contemtionem & invidiam vocantur: idque ab iis tantum, qui earum vel Ex-* *Illibata Conſanguinitas illa Evidentior, quam ut*

pertes

Digitized by Google

de ea dubitatio moveri poſſit.

pertes in totum; *vel ſaltem* NON ADEO COMPOTES; *ut legitime judicare poſſint. Luditur in vocabulo* PEREGRINITATIS; *ut alibi quoque demonſtratum*; *atque uberius adhuc demonſtrandum. Vel unum produci velim alicujus famæ Dignitatiſque virum*, *qui* CHALDAICIS, SYRIACIS, ARABICISQUE LITERIS *probe imbutus*, *eas nomine* PEREGRINITATIS, *vel &*, *quo a prudentioribus tandem decurritur*, DEGENERANTIS IMPURITATIS, *excluſum iverit ab officio illo*, *quod ipſis*, *cum* OMNIBUS, *qui in iiſdem calluerunt*, *aſſerimus atque vindicamus.*

Omnibus peritis ex conſtitit, & conſtabit, ſemper.

Quum hæc *in publicum efferre* ſuſtinui, ſciebam habere me TRIBUNAL ERUDITUM, cui rationem ut debeam, ſic reddere poſſim. Qui aliter ſciſcunt, & pronunciant, contra *Experimentalem Evidentiam*, nec non ſuffragia omnium eorum, qui *Arabice* callent, ac calluerunt, quo pacto ſe defendere queant, ad idem *Tribunal* diſpiciendum. Lætor certe, eo jam deventum, ut hæcce controverſia non in *privato* amplius ſerpere, ac foveri, poſſit; ſed *in publico* cognoſci, diſceptari, ac dijudicari, tandem debeat.

Objectio a recentiore ortu *Ling. Arab. refutata jam ſæpiuſcule.*

XXXVI. H. Quod porro *Octavo loco* objectum de *Linguæ Arabicæ Origine recentiore*; quippe *quæ cum Muhammede* demum *vel orta ſit*, vel *coli cœperit*; oſtendi iterum ex *ignoratione* cum *Linguæ*, tum *Hiſtoriæ*, unice emanaſſe.

Quæ *par.* XVI. & XVII. *Diſput.* VI. ad *Orig.* ſive *pag.* 152—156. *Tom.* II. deduxi, ad nubeculas haſce diſpellendas, nimis longa ſunt, quam ut huc transferri queant.

Apponam potius, quæ jam *Diſput.* IV. ad *Orig. Par.* XXIV. in medium tuleram, ad *Guſſetianas* cavillas, a *Novitate Linguæ Arabicæ* deſumtas, refellendum.

Cen-

Digitized by Google

Centies, a quo Linguas Orientales docere cœpi, difficultas mihi binc mota a Doctis juxta indoctiſque.

Horum nonnulli eo laborant præjudicio, Linguam Arabicam tam recentem eſſe, ut cum Muhammede, ſeculo VII. *nata ſit.*

Alii id nimis abſonum intelligentes, Libros tamen ante Muhammedem nullos extitiſſe, unde de Natura & proprietate hujus Linguæ judicium ferri queat, ſerio ſibi perſuadent, & bona etiam fide aliis perſuaſum cupiunt.

Sed habeo DOMI; *habet* BIBLIOTHECA ACADEMIAE *noſtræ, habet ingenti copia* ORIENS, *quo* GEMINUS ERROR *revincatur, atque ita refutetur, ut ne umbra quidem dubitationis cuiquam relinquatur.*

Officii ergo mei, MUNERISQUE *ſimul, rationes flagitant, ut* TANTUM *iſtum* ERROREM, *qui tamen* SUB VENIA ERRATUR, *propter rerum Arabicarum in noſtris regionibus ignorationem, ab Eruditis hominibus prohibeam, eoſque in peritiorem cauſæ cognitionem intromittam: ut ita de* METHODO *noſtra* — *juſtos agere poſſint* JUDICES; *atque* LEGITIME *aliquid pronunciare.*

Huic promiſſo liberando tempus adveniſſe cerno. Emittam ergo hoc Anno, ſi Deus vitam proroget, illuſtria quædam ſpecimina *Veterum Poëtarum*, quæ longe ante *Muhammedem* floruerunt: ut ita cunctis appareat, in tuto ſtare, qui adfirmant, quod didicerunt: quemadmodum qui de incompertis judicant, tanto magis ſe exponunt, quanto fidentius pronunciant, atque decidunt.

Objectio contra Joctanidarum ſedem *in* Arabia Felice *confuta-ta jam Ao.* 1737.

XXXVII. I. Intermiſſis *duabus claſſibus*, quæ minus nunc ad rem; venio ad *graviſſimum* illum *arietem*, quem ſubvertendo *ſyſtemati* noſtro ſubjeceram, ex *diſſenſione*, & *fluctuatione Veterum* pariter, ac Recentiorum, circa *Coloniam Joctanidarum Gen.* X: 26 — 30.

Repoſui leni, & levi, brachio, in *Diſput.* VI. *par.*

E XXI.

XXI. ſive *pag.* 157. *Tom.* II. *Orig.*

1. Dubitari non poſſe, ex narratione *Moſaïca Gen.* X. quin *tredecim* Filii *Joctanis* unam junctis ſedibus *Regionem* inſederint.

2. Nullam *Regionem* commodiorem indicari poſſe, in quam hicce *Fratrum populus* immigrarit, unaſque perpetuo ſedes obtinuerit, quam *Arabiæ Felicis peninſulam.*

3. Hanc *Arabiam Felicem nominibus Joctanidarum ſic inſignitam* & *diſtinctam*, ut *alios* illuc *Colonos immittere*, fas haud ſit. Id a Summo *Bocharto*, *Geogr. Sacr. pag.* 96. *& ſeq. tam clare evictum*, ut nihil *in Populorum Originibus evidentius, aut cumulatius, dari queat.*

4. Hoc ipſum ulterius adhuc a me confirmatum in *Orat.* I. *de Antiquitate Ling. Arab. ejuſque Sororia cum Hebr. adfinitate:* ibique ſimul inſinuatum, contra *Cl. Vitr. Chuſi poſteros Arabiæ* quidem *Deſertæ*, *& Petrææ*, magnas tenuiſſe lacinias, ſed *interiora Arabiæ Felicis* nunquam ab iiſdem occupata.

5. Tam *expreſſam*, & *diſertam*, hac in parte, *Hiſtoriam Arabum*, ut *hinc reſilire* non poſſit, niſi qui *omnem Fidem Hiſtoricam evertere* ſuſtineat: & qui *Græcis Romaniſque aliquid* ſaltem deferat, *Arabibus plane nihil* relinquendum eſſe pugnet.

6. Nihil ergo me vel *minuere*, vel *mutare*, in iis quæ hac de re olim a me diſſertata.

Ea tamen ad *ſtatum Quæſtionis* non pertinet proprie.

Habere illa *tantum convictionis*, quin *demonſtrationis*, quantum hoc in genere deſiderari queat.

Me tamen *ſimul ſubmonere*, *Origines* noſtras, *vel negata contra omnem Rationem illa Colonia*, *vim ſuam retinere:* quandoquidem *non ex illo Regno Joctanidarum argumenter ad* INTIMAM COGNATIONEM LINGUÆ ARABICÆ ET HEBRÆÆ : *ſed eam* IN SE EVIDENTISSIMAM, AC DUBIO EXEMTAM, *inde adhuc*

paulo

Digitized by Google

paulo plauſibiliorem efficiamus AD CAPTUM *eorum*, *qui* IN HÆC SACRA PENITIUS INTRARE *nequeant*.

Clauſula hæc fuit. *Si cui id minus videatur firmum*, *detrabat inde quantum lubebit. Nunquam tamen illuc perveniet*, *ut* ADFINITATEM UTRIUSQUE DIALECTI & SORORIA JURA *ſubruat*, *atque ſubvertat.*

XXXVIII. Qui in *libera Republ. Erudita liberaliter* differendum cenſeo, conceſſi tunc temporis plus, quam neceſſe erat: & quamvis noſtra non *eadem liberalitate* excipiantur, idem illud adhuc cuivis *liberum*, & *conceſſum* velim, ſi modo *indulgentia* mea non in *abuſum*, & *noxam* ipſius *Veritatis*, cedat. Liberalitas mea non ut par eſt excepta.

Eam in *abuſum* tractam tamen, dudum ſenſi. Non ignotæ voces, ab aliquot jam annis audiri cœptæ, *Fabuloſiſſimam eſſe illam Coloniam Joctanidarum*, *e Domo Heberi in Arabiæ Felicis ſedes immiſſam: & nugas agere Eum qui inde vel* ANTIQUITATEM, *vel* ILLIBATAM INTEGRITATEM, *vel* SORORIAM LING: ARABICÆ CUM HEBRÆA ADFINITATEM *adſtruere conetur.*

XXXIX. Ad hæc reverens nunc paucula tantum depromo.

I. Non valde juſtum eſſe, ut quum tam liberalis fuerim, adeo illiberales experiar Adverſarios. Modeſtæ quædam Conſiderationes.

II. *Antiquitatem Arabicæ* & *Gentis*, & *Linguæ*, in interiore *peninſula Arabiæ*, vel citra hanc *Coloniam Joctanidarum*, per ſe ſtare, iiſque niti fundamentis, & firmamentis, quæ ne ſollicitari quidem poſſint a rerum, & temporum, Veſtigatore prudenti: nedum ut ea unquam ruinam metuant.

III. *Coloniam* iſtam *Joctanidarum* nuſquam incongruentius, avibuſque minus addicentibus, potuiſſe immitti, ab ejuſdem Ductore, & Auſpice, doctiſſimo, quam in *Armeni-*

am, qua *Pontum Euxinum* & *Mare Caſpium* interjacet. quod *Belgice* inſinuari cœptum dubitanter ante *biennium*; noviſſima *Diſſertatione* fidentius adfirmari video.

Colonia illa in Armeniam *minus faventibus auſpiciis immiſſa.*

Si *CL. diſſertater* unquam *Origines Armenicas* indagaſſet; ſi Linguam *Armenorum* delibaſſet: ſi nomina *gentium urbiumque Armenicarum* attendiſſet; ſi reliqua, quæ ad *Armeniarum* notitiam pertinent, circumſpexiſſet, ac perluſtraſſet, nuſpiam nec volam, nec veſtigium, reperiſſet *Coloniæ e domo Heberi oriundæ:* cui ulla cum *Hebræa*, vel *Aramæa*, *Dialecto adfinitas*.

Si mihi id non accredat Vir Clariſſ. fidem certe non negabit *Rei Armenicæ* magno in *Republ. Literata* inſtauratori, Celeberrimo *Schrodero*, in *Theſauro Linguæ Armenicæ Antiquæ & Hodiernæ*.

Ulterius nunc non progredior, atque in præſenti ſatis habeo, Fontes limpidioris circa ignotas haſce Antiquitates cognitionis verecunde, atque amice, indicaviſſe.

Certiſſima ejus ſedes *Arabia Felix.*

IV. Contraria omnia obtinent in *Arabia Felice*. Omnes ibi *Gentium*, *Urbiumque*, antiquiſſimarum appellationes, *Hebraicam Originem* non redolent, ſed repræſentant. Tota *Lingua*, quanta quanta ea, cum *Hebraica* ita conſonat, ac conſpirat, ut *ſoror Gemella ſorori ſimilior* dari nequeat. Ipſa *Joctanidarum Nomina* quaſi perennibus ibidem inciſa monumentis, per præcipuas *Arabiæ Felicis* provincias, in omnemque ſeculorum memoriam propagata, tum *Coloniæ veritatem*, tum *Regni* illius *firmitatem*, ita conſtabiliunt, ut ea de re ambigere, ſit, ſuiſmet oculis quodammodo fidem derogare.

Merito propterea Summus *Bochart. Geogr. Sacr. pag.* 97. *Ut* REM CERTAM *aſſero*, JECTANEM *&* JECTANIDAS *intima* ARABIÆ FELICIS *inſediſſe*.

Non loquuntur ita, quibus Dignitatis ſuæ in *Orbe Literato* cura, niſi *ultra probabilitatis fines* aliquid producere,

re, atque evehere, valeant.

Factum quoque per *ſedecim Capita operis laudati*, a *pag.* 97. ad 147. in quibus ea relucet *demonſtrationis Evidentia*, ut ne *umbra* quidem *dubitationis* relinquatur illi, qui cuncta ſimul ſub conſpectum ſibi dederit, neque occulto aliquo ſtudio forte in diverſa trahatur.

Aſſeverare certe auſim, tantum diſcriminis eſſe inter *Coloniam Joctanidarum* a Magno *Bocharto*, aliiſque Principibus in *Geographia Sacra* Viris, in *Arabia Felice* collocatam, & inter eandem in *Armeniam*, & *Colchidem*, nunc immiſſam, (quæ tamen ſententia, ex parte, ſic ſatis vetus) quanta inter *concluſionom Phyſicam*, *ſolidis Experimentis ſubnixam*, & inter *ratiocinium* aliquod *Metaphyſicum*, cui nihil ſubeſt, niſi quod Auctoritas, forte, Dicentis ei ad aliquod tempus eonciliare valeat.

Demiror interim, a *Venerando Diſſertatore* tantum laboris iſti *Coloniæ* aliam in Terram transferendæ impenſum: ſi enim *Linguam Hebro-Biblicam totam quantam Divinam eſſe* ſemel ſit evictum; non eſt quod de *Joctanidarum* vel *Lingua*, vel *ſede*, pro hac quidem relatione, ulterius ſolliciti ſimus; quippe quos *jure Linguæ Sororiæ* tunc excidiſſe, ultro confeſſurus ſim, & ambabus manibus largiturus. *In ea tamen non vertitur Cardo Quæſtionis.*

V. Quam vellem eadem *Reflexio* Virum Clariſſ. retinuiſſet a Judicio illo, quod de *Lingua Arabica* ſubnexuit. Non opus erat, ni me fugit forte ratio, ut huc periculi deſcenderetur. Ego qui jam ferme *quadraginta annos* partim diſcendo, partim docendo, *Hebraica*, & *Arabica*, tracto, idque *Muneris* profiteor, *Orationes* publicavi *Academicas*, de *puritate Linguæ Arabicæ nullis ſeculis præſlorata*. Principes in *Literatura Orientali* Viri, qui *Arabice* calluerunt, communi calculo confirmatam ſemper dedere hanc ipſam admirabilem hujus *Dialecti* virtutem, ac præſtantiam. *Aliud monitum plenum officii & amicitiæ.*

Digitized by Google

Ea tanta eſt, ut fidem ferme ſuperet. Hinc evenit, ut qui ad *Arabica* non acceſſerint, vel parum in iis proceſſerint, plerumque ſe hac in parte incredulos præbeant. Id quidem non admodum liberale: ſed tamen homines ſumus, & humanæ id Imbecillitati donandum; ſi modo temperetur a *Contrariis Judiciis*, ſive *privatis*, ad *impeditionem ſtudioſorum*, ſive *publicis*, ad *everſionem* totius *ſtudii*; quo *Tenebras Babylonicas* ab *Eccleſia* depulit Divina providentia, & uſque depellet.

Non *prioris* ſolum, ſed & *poſterioris*, *imprudentiæ* ſeſe alligavit Cl. *Guſſetius*, *Linguam Arabicam* pronuncians *impuriſſimam*, quamvis operam vel exiguam, vel nullam, Eidem impertiiſſe reperiatur.

Idem nuper ab alio etiam *Theologo Groningano* factum. Nempe hi Viri Doctiſſimi egebant talibus ſubſidiolis, quia hactenus *Linguam Hebræam genti Hebrææ* relinquebant; neque aliter *pomoeria* ſua ſatis poterant defenſitare.

Aſt ubi ſemel demonſtratum, *Linguam Hebræam nunquam ulli genti Vernaculam fuiſſe*, ceſſat, ſi quid video, cura omnis de *puritate*, vel *impuritate*, *Dialecti Arabicæ*, & ſupervacua plane univerſa quæſtio, ac diſceptatio hæcce; quum *Dialectus* illa cum *omni puritate*, *quam* ſine controverſia conſervat, *humanæ* tantum *Linguæ dignitatem* obtineat; ac proinde *nihil novæ lucis* infundere queat in *Linguam*, cujus & *Voces*, & *ſignificationes*, & *conſtructiones omnes*, ac *ſingulæ*, plane *Divinæ* ſint: non niſi ex *Spiritus S. influxu*, & *Revelatione* ſpeciali, hauriendæ.

Hæc obiter: non ſane ad *congreſſum* propiorem ſuper *impuritate*, vel *puritate*, *Dialecti Arabicæ* defugiendum: ſed ut *Monitoris Amiciſſimi* officio fungar erga eos qui a me diffident; eoſque labore omni, hac in parte quidem, abſolvam.

Ceterum non eluſiſſe me Certamen, in quod vocor,

ſa-

Digitized by Google

ſatis perſentiſcetur, quum ad *Arcem* illam *Diſſertationis* ordo rerum me deduxerit, unde *Impuritatem confuſiſſimam Linguæ Arabicæ* video urgeri inſtantiſſime. Non inſtitiſſent ita, qui ſatis firmi in *Arabicis* fuiſſent. Et hoc monitum *ex Muneris publici obligatione, ac ſincera* erga diſſentientes *amicitia*, profectum: ne *Auctoritas* ſibimet noxæ ſit; ſed accuratius interea temporis examinare dignetur, quæ ad *Cauſam* hancce cognoſcendam, & dirimendam, requiruntur.

Variis criminationibus quo modo jam *ante Biennium* occurrerim.

XL. *K.* ſequuntur *Criminationes* nonnullæ *duodecimo* loco expoſitæ. Eas ſupra *pag.* 13. excerpſi.

I. Ad *primam*, & *quartam*, repoſui; *dolendam eſſe ingenii humani imbecillitatem, quæ in invidiam vocet ferme, quod non amet.* &c.

Nos in ORIGINIBUS *noſtris adeo nihil miſcere; ut quæ ab aliis miſta, & confuſa, ad liquidum reducere conemur.* &c. &c.

Si animoſius agere vellemus, retorqueri poſſe telum, atque jure meritiſſimo inferri, illos cuncta miſcendi anſam miniſtraſſe, qui ſpretis FONTIBUS DIALECTORUM, *ex ingenio Metaphyſico* ORIGINES *ſive* FORMALES SIGNIFICATIONES *eruere ſuſtinuerint.* &c. &c.

II. Ad *ſecundam* & *tertiam* criminationem regeſſi.

א. *Non* EX VERITATE *eſſe* ZELUM; *qui* VERITATIS *diſcuſſionem ferre nequeat. Summa me veneratione proſequi* VERSIONES *cum* VETERES *tum* RECENTIORES: *ſed me* MUNERE, *quod ſuſtineo, indignum fore, niſi per Veſtigia Excellentium interpretum ad* MAJOREM *in Lingua Hebræa* COGNITIONEM & LUCEM *pervenire ſtuderem.*

Hoc adeo nihil detrahere præſtantiſſimis Virorum; &c. &c. *ut ſic demum nos veros eorum* IMITATORES *probemus.* &c. &c.

Digitized by Google

Hæc pudenter reſponſa quoque velim ad ea, quæ nonnulli ſuſpicantur ad me pertinere, *Diſſert.* II. *de ſitu Edenis. pag.* 141. Iſti tamen ſuſpicioni me credulum nimis dare nolim.

ב. Quod ad DEFECTUS attinet *Ling. Hebrææ*, de quibus *large nimis loqui* taxemur: reſpondi, *tantum abeſſe ut ea noſtra opera aliquid deminuat de* PERFECTIONE FONTIS HEBRÆI, *ut contra* NATIVAM DIGNITATEM, *&* PRIMÆVUM SPLENDOREM, *unde per injuriam temporum, & incuriam Judæorum, decidit in bene multis, ac præſertim in* RADICUM ORIGINIBUS, *eidem reſtituere allaboret.*

ALIUD *longe*, HEBRÆUM SERMONEM *accuſare* IMPERFECTIONIS, OBSCURITATISVE, *quam incudem infeliciter tundant audaciores Critici, qui quæ in Lexicis, aut Verſionibus, inconcinna, ipſi Linguæ imputent*: ALIUD, *redarguere* NOSTROS IN LINGUÆ *illius* COGNITIONE DEFECTUS; *eorundemque Sanandorum* REMEDIA *indicare.*

Paralogiſmi Cl. Guſſetio commiſſi.

XLI. Hac occaſione *Tom.* II. *Orig. pag.* 160. diſſipare conatus ſum *Captiones* quibus ſeſe, alioſque, implicuerat Cl. *Guſſetius*, quum LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM comparabat MAGNO LUMINARI, *quod* SOLIS *inſtar ſuiſmet* RADIIS *refulgeat; ac proinde* NULLIS DEFECTIBUS, *ex collatione* DIALECTORUM *ſupplendis, laboret.*

Ut nebulas oculis offuſas detergerem, *triplieem* his *confuſionem* ſubeſſe oſtendi.

1. *Manifeſto commiſceri Doctrinam ſalutarem Moſis & Prophetarum, cum ipſa Lingua*, qua Oracula conſignata.

Addidi, *Veritate* & tunc, & nunc, præeunte, ac prælucente, *Illam* LINGUAM, *qua* LINGUAM PER SE, SOLIS INSTAR FULGERE, *& ſuis ſe radiis legenti manifeſtare, tam abſurdum; ut ne* FANATISMUS *quidem*

eo

Digitized by Google

eo aliquem provehere poſſit.

2. Quod ad *Analogiam fidei* provocetur; *iterum confundi, quæ toto Cœlo diſſident.* ANALOGIAM FIDEI *ſcilicet dijudicare quidem, quænam Vertendi ratio ſit convenientiſſima, & cum* DOCTRINA COELESTI *conjunctiſſima: ſed* LINGUAM HEBRÆAM *non ſane per* ANALOGIAM FIDEI, *cuiquam* INSTILLARI; *nedum ut* ORIGINES & PRIMÆVAS POTESTATES *uggerat, atque* INSPIRET.

3. *Ludi in vocabulo* DEFECTUUM, idque aperte *confundi.* Scilicet DEFECTIBUS *abſque controverſia exemtum eſſe* VERBUM *Revelationis; at* LINGUAM, *qua verbum illud revelatum*, NIHIL IMMINUTIONIS *paſſam, ſed omnem ejus proprietatem ac virtutem; omnem dicendi formam, & amplitudinem; omnem Grammatices, & ſyntaxeos, rationem in* SACRO CODICE *contineri; id vero tam* ABSONUM *eſſe, ut ne* PER SOMNIUM *quidem cuiquam in mentem venire poſſit.*

XLII. Non eſt, quod verear, ne æquis rerum Arbitris, in abſurditatibus *Guſſetianæ Rhetoricationis* indicandis, modum videar exceſſiſſe.

Illis, ut par fuit, occurſum.

Fas non erat ut in re tanta, in qua *totus Hebraïzandi Cardo* vertitur, aliter loquerer. Citra cujuſquam læſionem ea poſita; ad illuſtrationem *Veritatis*; unde & tunc temporis perſuaſus eram, atque etiam nunc perſuaſiſſimus ſum, neminem velle, vel poſſe, diſſentire, qui *Materiam*, de qua agatur, tranquille expenderit.

Enervata & alia inſtantia.

XLIII. Hæc fiducia me provexit, ad *inſtantiam* aliquam occupandam, qua *Guſſetianos* forte uſuros ſuſpicabar. *Si inſtes* LINGUAM REVELATIONIS *eo ſaltem uſque* INTEGRAM *manſiſſe; ut* DIALECTORUM LUCE NON INDIGEAT; *ſed ſibimet ſuis opibus diem præſtare valeat; fidenter reponam ἀσύστατα incongrua proferri; & vel* re-

rotundis verbis aſſeverandum, UNIVERSAM LINGUAM HEBRÆAM, *qua late patuit olim*, INTRA BIBLIORUM CANCELLOS CONTINERI; *vel concedendum*, *collatione* DIALECTORUM *prudenter inſtituta indigeri*, *ad* PROFUNDA *illius* LINGUÆ *penetranda*.

Dialectis *excluſis*, *corruat neceſſe eſt quicquid* Verſionum & Lexicorum.

XLIV. Hæc verbis rite ponderatis, atque, ut puto, temperatiſſimis, oppoſui A°. 1737. *Scriptioni* iſti *Belgicæ*, quæ A°. 1736. *Syſtemati Arabizantium* non ſolum, ſed etiam omnium *Hebraïzantium*, qui unquam ante nos fuerunt, omnem *firmitatem* ſubtrahebat. Certe ſi DIALECTI excludendæ *a finibus* LINGUÆ HEBRÆO-BIBLICÆ, tunc quicquid vel ex *Chaldaïco*, vel ex *Syriaco*, vel ex alio aliquo *Veteri Fonte*, allatum a *Rabbinis*, & *Hebraïzantibus* noſtris *Reformatoribus*, una cum Verſionibus & Commentationibus, ad iſtam lucem confectis, labaſcet, atque unam perpetuam trahet ruinam.

Hoc ut certiſſimus ſum, haud quaquam intendi ab iis qui noſtra oppugnant, ita hac ipſa perſuaſione ductus, ſubjunxi ibidem. *Ulterius* LIQUIDISSIMÆ CAUSÆ *fiducia progredior. Veniat aliquis, qui hoc aſſeveret*; (*quod* NUNQUAM QUEMQUAM SERIO FACTURUM, *perſuaſiſſimus ſum*) *ſed tamen dicere ſuſtineat Aliquis*, UNIVERSUM LINGUÆ HEBRÆÆ AMBITUM IN BIBLIIS COMPREHENDI; *tum eo rem deductam dabo*, *ut vel ſtatuere cogatur*, NEC SE, NEC QUEMQUAM MORTALIUM, QUICQUAM DE EA LINGUA INTELLIGERE: *vel* AD DIALECTOS *eundum*, *indeque* CLAVIM *illius* SERMONIS *repetendam eſſe*, *ultro confiteatur*.

Quin omne lumen tum extinctum fuerit.

XLV. Hæc, ut quivis ſentit, nihil habent, quod quemquam offendere queat. Scilicet *Talem* ſibi hæc *Adverſarium* proponunt, *Qualem* ipſe vel extitiſſe tunc tempo-

po-

potis, vel extare poſſe, diſertim nego. Verum quidem eſt, videri poſſe, Venerandum Auctorem *Commentarii de Chriſti ortu e Davide* ab hac *ſententia* non valde procul abeſſe, ſecundum *Theſes* ſupra expoſitas *pag.* 17, 18. attamen aſſeverare poſſum, me neque tunc credidiſſe, neque nunc adhuc liquido adduci ut credam, hanc eſſe *genuinam Magni Theologi ſententiam*; quippe qui nec in *Belgico opere* id *rotundis verbis* adfirmarit, nec in *Latina Diſſert.* de *Ling. Primæva*, id tam clare enunciarit, ut de eo convictus eſſe vel debeam, vel poſſim.

Totam Ling. Hebræam in Bibliis *contineri, tam abſurdum, ut, ne per ſuſpicionem quidem id Alicui tribuam.*

Video, e contrario, in *Diſſert. noviſſima* magnam *dubitationem*, de *Lingua Hebræo-Biblica*, cum ſuſpenſa *circumſpectione* conjunctam, qua hoc ipſum, quod *Statum Controverſiæ* efficit, caute evitatur. Vide modo *pag.* 197, 199, 201, 202. &c. &c.

Juſtitiæ ergo, & candoris, leges ſacroſanctas violarem, ſi *Amiciſſimo* & *conjunctiſſimo* Viro *ſententiam* aliquam ex *conſequentiis* affingerem, quam ne *inimiciſſimo* quidem *adverſario* impingere ſuſtinerem.

XLVI. Eſt quoque Candoris mei, quando *Statum Controverſiæ* in clara luce collocare allaboro, ſumme Honorandum *Theologum* vel *ſuſpicione* hujus *Conſequentiæ* levare, ac liberare, in publico: ne quod mihi non permitto, imprudentior forte, ac fervidior, Diſputator committat.

Elucidatio neceſſaria, & amica.

Ajo itaque ſatis fidenter, *Virum Clariſſimum* id nolle, quod primo adſpectu velle videtur. En verba! quæ iſtam mihi fidem adfirment. *Diſſert. pag.* 214. „ *Qui Etymologizandi pruritu veram Vocabulorum notionem, ex primitivis ac Radicalibus Vocabulis* (*nedum ſi hoc ex* ADULTERINIS, & PEREGRINIS, *moliantur facere* RADICIBUS) *conantur elicere*; *næ illi oſtendunt*, *quod magno conatu nil niſi* DIFFICILES *atque* OBSCURAS *plane* NUGAS *agant*.

„ *Conficiat modo aliquis ad normam, pag.* 212, 213. *da-*
„ *tam; quod admodum facile præſtari poterit, Libellum me-*
„ *morialem, in quo ex ſimplicibus vocabulis ſubſtantivis, ac par-*
„ *ticulis* LINGUÆ HEBRÆO-BIBLICÆ, OMNIA
„ *iſtius* LINGUÆ VERBA & VOCABULA *deriva-*
„ *ta, & compoſita (ut ut apud Hebræos rariora) deriven-*
„ *tur;* VIDEBIT *non tantum ipſe, ſed etiam aliis lucu-*
„ *lenter* DEMONSTRABIT, LINGUAM HEBRÆO-
„ BIBLICAM NULLIS *non tantum laborare* DEFE-
„ CTIBUS, *ſed eam ad* SCOPUM DEI, *in* VERBO
„ SUO *loquentis, quoque eſſe* UBERRIMAM, EVI-
„ DENTISSIMAM, AC SUFFICIENTISSIMAM: „
„ *ut neceſſarium neutiquam ſit*, SENSUM ALIENUM *a-*
„ *liunde in ſacram inferre ſcripturam, ac Spiritui S. in ea lo-*
„ *quenti obtrudere.*

Inſiſti- in eandem elucidationem. XLVII. Luce meridiana clarius ex his cernere eſt, Vocabulum DEFECTUUM implicuiſſe *Viri Honoratiſſ.* mentem, ac cogitationem; Eumque revera exiſtimare, eos qui *Defectus tales ex Dialectis ſupplendos* contendunt, *Verbo Dei detrahere Ubertatem*, EVIDENTIAM, & SUFFICIENTIAM, IDONEAM LINGUÆ, *Spiritus Sancti ſcopum explere haud valentis.*

Stupeo! Doleo! Sileo: uno tantum verbo dico; ut hoc toto Cœlo a mea, Magnorumque, quos ſubſequor, virorum Religione repulſum, ita me majorem in modum lætari, quod *Controverſia* noſtra, *facillimum*, eundemque *amiciſſimum*, *exitum* brevi nanciſci queat: quum in omnium nunc oculos incurrat, *infauſtam* illam *Literatis Logomachiam* ſeſe etiam huic *Quæſtioni* immiſcuiſſe: atque in idea DEFECTUUM, inter partes diſſentientes non conveniri.

XLVIII. Idem hocce clarius adhuc in oculis omnium defigere poterit inſignis *paragr. Diſſ. pag.* 217. ubi quum
Cl.

Digitized by Google

Cl. Auctor commendaſſet, quod & nos facimus, ,, *aſſi-*
,, *duam ſacrorum Bibliorum Lectionem, atque attentiſſimam*
,, *& piam argumenti Eorum meditationem.* ,, &c. &c. Sic
ſubſumit. ,, *Qui ita in hac Lingua Hebræo-Biblica verſa-*
,, *bitur, ipſis experietur documentis, hanc* LINGUAM *neu-*
,, *tiquam* VOCABULORUM *aliqua laborare* PENU-
,, RIA ATQUE INOPIA (SATISFACIT *enim quam*
,, *pleniſſime* DEI *in ſcriptura loquentis* SCOPO) *ſed eam*
,, *ex* UBERRIMO FONTE SUO, *ac* FOECUN-
,, DISSIMA *vocabulorum, & particularum ſuarum,* RA-
,, DICALI VIRTUTE *ac homonymia, ſuggerere* OPU-
,, LENTISSIMUM *pariter, ac* VENUSTISSIMUM;
,, *&* LIQUIDISSIMUM SENSUM; *quo Deus mentem*
,, *ſuam quam* SAPIENTISSIME, EVIDENTISSIME,
,, *atque* EFFICACISSIME *ita expreſſit, ut unuſquiſque*
,, *modo piam adhibeat attentionem, eam maxima cum ſuavi-*
,, *tate, ac jucunditate, percipere atque intelligere queat.*

Periodus in nos directa; quum tamen idem plane & teneamus, & doceamus.

Eſt quidem aliquid in iſta *periodo*, quod plus *unicuique* ex *Hebræo Codice promittat*, quam forte conſequi valeat. Sed talia nunc lubens mitto: atque publice teſtificor, nunquam aliter me de *Sacra Scriptura* vel ſenſiſſe, vel ſcripſiſſe.

1. Egone ut *Linguam Hebræam* VERBORUM INOPIA *ac* PENURIA *laborare* tendam? qui eam *opulentiſſimam* fuiſſe, ſecundum *Radicalem* ſuam *virtutem*. & defenderim ſemper, & demonſtraverim in *Opuſculo, de Defectibus Hodiernæ in Lingua Hebræa Cognitionis.* Si *Clariſſ. Diſſertator* illud modo perlegere dignetur, ſociam mox dextram, pro amore veritatis, quo flagrat, jungere non detrectabit.

Id per partes quatuor oſtenditur.

2. Negaſſe *hanc Linguam pleniſſime ſatiſfacere ſcopo Dei in Scriptura loquentis*, eſſet, ſanam mentem ejuraſſe.

3. *Uberrimum* eſſe hunc *fontem*, & *fœcundiſſimam Lin-*

Digitized by Google

guæ hujus Virtutem Radicalem, non dico ſolum, ſed etiam clariſſimis comprobo documentis.

4. Conſentio quoque, ac conſciſco, *Opulentiſſimum, vetuſtiſſimum, liquidiſſimum, eſſe ſenſum, quo Deus mentem ſuam quam ſapientiſſime, evidentiſſime, atque efficaciſſime, expreſſit:* utinam modo tam Felicibus nobis eſſe liceret, ut illum *ſenſum* ubique ſatis aſſequi valuiſſent interpretes, qui HEBRAICÆ LINGUÆ cognitionem profeſſi: non tanta ſub mole *Commentationum* gemeret adhuc *Verbum* illud *Sacratiſſimum*, quod tum ſane *Magni* inſtar *Luminaris Eccleſiam* Dei colluſtrabit, quando *Linguæ Hebræo-Biblicæ* univerſa *Analogia* rite reſtituta, ac conſtabilita, quicquid adhuc *obſcurum*, *incertum*, *conjecturis* huc illuc *diſtractum*, pleniſſimum in diem eductum, atque vindicatum, erit.

Acceleret tempora hæcce *Sol juſtitiæ*, eumque in finem *Linguarum Orientalium* ſtudium novo vigore exſuſcitet, atque ad culmen exoptatum producat!

Concludo, Fieri non poſſe, ut id velit Cl. Diſſertator, *quod prima fronte videtur.*

XLIX. Hæc, & alia adhuc loca, alias, ſi neceſſe ſit, promenda, fidem mihi faciunt, ut *par.* XLVI. dicere cœpi, *Clariſſ. Diſſertatorem id* NOLLE, *quod primo adſpectu videtur* VELLE; & quo *multæ locutiones fortiores* per *Conſequentiam* trahi poſſent.

Hac onerare diffidentem, non eſt pectoris firmi, & Veritate armati. Abſit, abſit, ut qui *Cauſam Religionis* me ſuſtinere profitear, *meam* ſic potius egiſſe reperirer. Sincere itaque credo hactenus, ſumme *Venerandum Theologum* nihil aliud etiam intendiſſe in *poſitionibus* illis, quas *pag.* 17. 18. ſupra produxi, *numero nono, decimo, undecimo*, & *duodecimo*. Apparet ſaltem, non ſatis explicatam eſſe *ideam* DEFECTUUM, quæ ibi premitur: & pugnari contra DEFECTUS ipſi LINGUÆ *inſidentes*, & *macularum inſtar* inhærentes. Juſtus & laudabilis ille Zelus, ſi modo legitimum ſibi *Adverſarium* deſumat. *Linguæ*

He-

Digitized by Google

Hebræo-Biblicæ oſores, & *Critices Sacra* hæcce *temerantes*, quo modo excipere ſoleam, & ſuiſmet telis configere, Omnia mea Scripta loquuntur, atque in oculis totius *Eccleſiæ*, & *Orbis Eruditi*, deponunt.

Maculas *obſcuritatis*, *ambiguitatis*, *inopiæ*. *penuriæ*, & VEROS illos DEFECTUS, qui MAJESTATEM VERBI DIVINI minuunt, ſemper a *Sacra Scriptura* depuli, & depellere non ceſſabo. Hoc mihi maximum, hoc unicum, omnis Laboris, in *Linguam Hebræam* toto Vitæ curſu impenſi, præmium.

Tales Defectus, quales impugnat Cl. Theologus, & ipſe ſemper a S. Scr. depuli.

Hæc intima, & ſincera, erga *Hebræam Linguam Reverentia*, ac *Religio*, me impulerunt, ut *de* DEFECTIBUS, non *Linguæ*, ſed HODIERNÆ NOSTRÆ *in Lingua Hebræa* COGNITIONIS, & *Orationem inauguralem* ſuſciperem, *A°*. 1713. *Franequeræ*; & *Opuſculum* deinde conſcriberem: indicata ſimul *Veteri* & *Regia Via*, per quam *id lucis*, quod fruſtra in *Commentatoribus* aliquando *vagis*, aliquando *vanis*, quæras, inveſtigari, atque ſuper *Candelabro Veritatis*, in medio *Eccleſiæ*, collocari queat.

L. Tales *Defectus Hodiernæ noſtræ cognitionis*, *omnes* in univerſum *Interpretes*, *Commentatores*, *Concionatores*, qui in *luce Reformationis* vixerunt, & vivunt, ſemper agnoverunt; ac palam profiteri non erubuerunt; ut vere ſe e *ſervitute Pontificia* in *Libertatem Chriſti ſpiritu*, & *Doctrina Veritatis* dignam, exiiſſe comprobarent.

Non impetro a me, ut *Theologos* ſapientes hanc *Libertatem Eccleſiæ* imminuere velle credam. Ne ſuſpicor quidem. Id video, id ſentio; id experior; nonnullos hac in parte *aliquid humani paſſos*; quum in me improbarint, quod in ipſis vel maxime collaudo; *non jurare in verba Magiſtri*; ſed *Lucem Eccleſiæ*, pro ſua quiſque virili, *religioſe*, & *prudenter*, *adaugere*.

Defectus quos Ego indicavi, omnes in univerſum interpretes agnoſcunt.

LI. Eo jam res adducta, ut *Controverſiæ Hodiernæ ſtatum*

tum mihi *figere*, atque *Clariſſima Luce perfundere* liceat.

Quæritur ergo inter me, & *Guſſetianos:*

Status Quæſtionis inter nos, & Guſſetianos.

1. *An* UNIVERSA LINGUA HEBRÆA *quanta tandem cumque fuerit*, IN BIBLIIS *contineatur.*

2. An NIHIL PLANE DE EA, *nec injuria temporum*, *nec fatis gentis*, SIT DEPERDITUM; ATQUE DEMINUTUM.

3. An NULLÆ *omnino* SIGNIFICATIONES, *quæ unquam in* LINGUA HEBRÆA *extiterunt*, OBLITTERATÆ SINT; *ſive* DEFICIANT.

4. *An etiam* PRIMARIÆ *omnes* POTESTATES *omnium* RADICUM *in Scriptura Vet. Teſt.* OCCURRANT, *&* LIQUIDO *ibidem* CONSIGNATÆ *reperiantur.*

Abſurditatum cumulus,

LII. Nemo a *Syſtemate Noſtro* diſſentire poteſt, quin hæc *quatuor* aſſeverare cogatur; ut ſupra *pag.* 15. oſtenſum adverſus Cl. *Guſſetium.*

In his autem *tanta vis abſurditatum*, & *Contradictionum*; ut graviſſimam injuriam me inferre profecto autumarem Ei, quem vel *ſuſpicione talium opinationum* perſtringerem.

Hoc principio ductus ſcripſi jam ante, idemque nunc repeto; NEMINEM, CUI *aliqua* PUBLICI, *vel &* SUI *in publico* REVERENTIA, *id unquam adfirmaturum.*

Tales Theſes *a quoquam Erudito adoptatas, necdum perſuadeor.*

Si *phraſibus quibuſdam*, quin *univerſo* diſputandi *modo*, illuc tendere videantur, qui me meaque impugnant, non is ſum, qui ex *verbis*, aut *modo* aliquo diſputandi minus vel claro, vel concinno, de *Fratribus* meis, & *Amicis*, judicium feram.

Nunquam perſuadebor, quemquam hominem *Eruditum* tales *Theſes* adoptaſſe, ac defenſandas ſuſcepiſſe; niſi id ipſum *rotundis*, *&* *apertis*, *verbis*, in publico declararit.

Quum id factum fuerit, tum demum *Vera* orientur

Cer-

Digitized by Google

tamina. Ut adhuc quidem ſeſe Res habet, necdum extra *Logomachiæ* fines poſiti eſſe videmur.

LIII. Hæc certe hactenus vel effecit, vel fovit, omnem illam diſſenſionem; quæ adverſus *Arabizantes*, & *Dialectorum Commendatores*, in *ſtudio Biblico* promovendo, unquam coorta.

Logomachiam ſe *Quæſtioni immiſcuiſſe monetur.*

Quæ quum ita ſint, non ſpero ſolum, ſed & confido, brevi omnem hanc controverſiam fore ſopiendam, in re ubi Sapientes, & Veritatis amantes, inter ſe diſſentire non poſſunt: omneſque ultro agnituros, adeo nihil *evidentiæ*, *excellentiæ*, *integritati*, *dignitati*, & *Divinæ Majeſtati*, *Sacrarum Scripturarum* per nos detrahi, ac deteri; ut contra iſtam *Evidentiam*, *Excellentiam*, *Integritatem*, *Dignitatem*, ac *Divinam Majeſtatem Cæleſtis Verbi*, feliciter e Tenebris *ad Reformationis lumen* Vindicatam, ſuper *Candelabro* conſervare, atque ad *Illuſtriorem* adhuc *ſplendorem* religioſiſſime provehere conemur.

LIV. L. Criminationibus hiſce, ex minus rite perpenſa, & intellecta, caſtiſſima noſtra intentione, oriundis, ſubnexueram jam A°. 1734. *Inſtantiam* ab *Impuritate Linguæ Arabicæ*, & *colluvione Barbara*, *in eam invecta.* Repoſui A°. 1737. *Diſp.* VI. *ad Origin.* ſive *Tom.* II. p. 2(6)3. quod *Linguarum Cultoribus* oculos aperire, iiſdemque ſcrupulos eximere potuit. Cum aliis mihi, in hac *Controverſia* diſceptanda, nec eſſe poteſt, nec ſane negotium eſſe debuiſſet. Si interim in *Republica Eruditorum* ſint, qui ſibi perſuadere nequeant, *Linguam Arabicam* tam *puram* vel fuiſſe unquam, vel manſiſſe; ab iis petitum, atque impetratum, quam humaniſſime velim, ut ante, quam vel in *privato*, vel in *publico*, aliquid conſtituant, ac decidant, auctoritate alios tractura; eatenus ſaltem Eam addiſcere velint, quatenus par eſt *Cognitionem* cujuſcumque tandem *Rei* ſumi; de qua vel in *privato*, vel in *publi-*

Anno 1737. *confutata jam inſtantia ab* impuritate *&* Barbarie *Ling. Arab.*

blico, aliquid ſententiæ ac judicii ferendum. Qui aliter faciunt; quomodo vel a ſemet ipſis excuſati abire queant, non intelligo.

Arabicæ & Chaldaicæ Dialectis Rabbinorum & Chriſtianorum *Interpretationes innituntur.*

LIV. Illiberali huic contradictioni, ſi pote, reprimendæ, ſubjunxi conſpectum renaſcentis quaſi, atque in cunabulis jacentis adhuc, *Linguæ Hebrææ*, poſtquam *Cognitio* ejus tam inter *Judaos*, quam inter *Chriſtianes*, ferme in oblivionem iviſſet.

Oſtendi primis *Judæorum doctoribus*, qui ſeculis X. XI. XII. XIII. *Chriſti* floruere, *Linguam Arabicam* fuiſſe *Vernaculam*, quippe qui in *Babylonia*, *Ægypto*, *Africa*, & *Hiſpania*, adhuc *Saracenis* tum ſubjecta, vixerint.

Dixi, me *ſexcenta* indicare poſſe *Themata*, quæ *Rabbinis* non aliunde innotuerint, quam *ex uſu Arabum: in Lexica* noſtra, ac *Verſiones*, bono plenoque jure immiſſa. Alia *Sexcenta* demonſtrare poſſum, quorum poteſtas aliis ex *Dialectis* hauſta ab iiſdem; atque ex *Commentariis Rabbinorum* transfuſa in *Commentarios Chriſtianorum*.

Quantas ruinas trahat Dialectorum *contemtus.*

Qui ergo adverſus *Dialectos* imprudenti non minus, quam infauſto, Zelo inſurgunt; neſciunt ſane, ſuiſmet ſeſe manibus demoliri, quod *Octo Seculorum* labore, & induſtria, a *Judæis* pariter ac *Chriſtianis* exædificatum.

Neſciunt ſe *turrim Babylonicam* iterum moliri.

Neſciunt, ſe *Reformationis lumen*, quod ſeculis XVI. & XVII. tam ſplendida cepit incrementa; ſub *modium* non ſolum decondere, ſed, quantum quidem in ipſis, opprimere, atque extinguere.

Neſciunt, ſe *Pontificiis* facillimam parare victoriam, & ea arma in manus dare, quibus ad *Vulgati interpretis* fidem ſequendam omnes *Eccleſiæ Reformatæ* denuo compelli tandem deberent.

Neſciunt, ſe *Voſſianiſmum* ſaltem, quo Clavis *Linguæ Hebrææ* penitus deperdita pronunciatur, & quo jurare jubemur in Antiquiſſimam *Verſionem* LXX. Viralem, ita conſtabilire; ut

Ego

Ego quidem nullus videam, quid fortiſſimo illi *Critico* confutando, ac comprimendo, in medium conferri poſſet.

Hæc nunc ſummis tantum faſtigiis percurſa, & perſtricta ſunto. *Amplior* patefiet *Campus*, in quo cuncta hæcce claris rerum documentis ſub publicum conſpectum promentur.

Conſpectus Metaphyſicorum *conceptuum Cl.* Drieſſ. *qui Anno* 1737. *comparuere.*

LV. Huc demonſtrationis pro firmitate *Syſtematis* noſtri progreſſus fueram menſe *Aprili* 1737. quum inſequente *Majo* adverſus me *in Arenam* deſcendit Cl. *Drieſſenius*; cum *Metaphyſico* ſuo *Lumine*, quo *Tenebras*, per me e *Dialectis* offuſas *Linguæ Hebræo-Biblicæ*, diſſiparet, ſcilicet!

Ejus *Syſtema Hebraïzandi* ad ſex *Canones* hoſce rotunde, & dextre, Circinatum, ſic habet.

1. P*rovidentiam Dei curaſſe*, *ut in* VERSIONIBUS, RABBINIS, *&* LEXICIS, OMNE ILLUD LUMEN *contineatur jam*, *quod ad Linguam Hebræam in omnibus ſuis partibus*, *&* *membris*, *enucleandam*, *requiritur.*

2. *Illud Lumen*, *ſi jam non omnibus* VERSIONIBUS, RABBINIS, LEXICIS *inſit*, *certe* PLERISQUE, *ſaltem* ALIQUIBUS *ineſſe*, *non ſolum pro* SECUNDARIIS, *ſed etiam pro* PRIMARIIS *ſignificationibus.*

3. *Ex* ATTENTA CONSIDERATIONE *loci*, *vel locorum*, *ubi vox aliqua occurrit*, *adhibito judicio Critico*, *dijudicari poſſe*, *quinam interpretes verum vocabuli Hebraici ſignificatum expreſſerint*; *ſimulque an ſignificatus ille* PRIMIGENIUS *ſit*, *an* SECUNDARIUS.

4. *Nil opus ergo eſſe* LUMINE *ex* ORIENTALIBUS LINGUIS *hauſto*, *ſed* LOGICAM, *&* METAPHYSICAM, *hic luculentiſſimam facem præferre.*

5. Quod ad *rara*, vel *ſemel lecta vocabula*; *ſi non ubique* PROPRIISSIMUM, *eum ſaltem qui loci ſenſum non turbet* REALITER *figi poſſe ex nexu*, *ſcopo*, &c.

6. Quod ad *derivata*, QUORUM RADIX *jam* DE-

SIDERETUR, *ſi modo vere* DESIDERETUR RADIX, *qualis* EA FUERIT, *&* QUID SIGNIFICARIT, *per* JUDICIUM LOGICUM *veſtigari poſſe.*

LVI. Simpliciter rem narro, & expono; ut *Orbis Eruditus*, & *Ineruditus*, ſentiat, quouſque *Metaphyſica Methodus* in *Academia Groningana* ſeſe provehere nitatur.

Qui tamen Dialectos *in prima congreſſione honoravit.*

Cordate tamen, & candide, hic ſubmonendum, *Theologum* & *Philoſophum Groninganum*, tunc ſaltem temporis, necdum omnem *Guſſetianiſmi* exceſſum adſciviſſe: ſed aliquando ſatis *honorifice* locutum de *Dialectis*, non *Chaldaica*, & *Syriaca* ſolum, verum etiam *Arabica*: ut *pag.* 16. *Vindic.* nec non *pag.* 201. videri poterit.

Non exploſit quoque, ut apparet ex *Theſibus* propoſitis, vel *Veteres Interpretes*, vel *Rabbinos*; vel *Recentiores Interpretes*: quos omnes ſuas ſibi res habere juſſerat Cl. *Guſſetius*; ut *ſolo Lumine* & *Acumine Metaphyſico* DESIFRARET VERITATEM; *&* *ad intima* LINGUÆ HEBRAICOBIBLICÆ *ejus Unius* RADIIS *ſeſe penetraret.*

Ad *Guſſetianiſmum* tamen ſatis prope nonnunquam acceſſit idem ille Vir Clariſſimus, *Logicæ* & *Metaphyſicæ* ſuæ tantum non omnia deferens: quin fervore diſputandi ablatus, ſe aliquando in medium veluti Centrum ejus immiſit.

Quid? Vereor ne plus quam *Guſſetianum* ſe dederit in magnis quibuſdam *Enthymematis*, & ſententiis *Metaphyſicis.*

Metaphyſici exceſſus, quibus indultum a Cl. Theologo.

Talia ſunt

1. LINGUAM BIBLICAM, *eſſe* LINGUAM *per ſe plenam*, *in eoque* SINGULAREM, *quod omnis ejus* CONSTRUCTIO *ſit* DIVINA, *Auctorem habens Spiritum Sanctum.*

2. *Quo igitur* PAUCIORES *in ea* VOCES, *&* DICTIONES, *quae tamen abundantiſſime ſufficiant* ad Scopum Dei,

Dei, & Sp. S. *eo* FACILIUS *ſibi illas familiares reddere* LINGUÆ BIBLICÆ STUDIOSUM: *in quo non* LINGUÆ PAUPERIEM, *ſed Dei Benignitatem, & Sapientiam, agnoſcere ſit.*

3. *Se non videre* propterea, *ſi jam ſupereſſent* RADICES & DERIVATA, QUAS & QUÆ LINGUA HEBRÆA *olim habuit* OMNES, & OMNIA; *quid* LUCIS *afferrent* UBERIORIS LINGUÆ BIBLICÆ.

4. *Nullos ergo eſſe* DEFECTUS HODIERNOS LINGUÆ HEBRÆO-BIBLICÆ, &c.

5. Quin *credere ſeſe*, VOCES *plures* BILITERAS, & TRILITERAS, *quae perperam habeantur pro* DERIVATIS, *eſſe* PRIMIGENIAS; & *perperam Illarum* RADICES, *quae ipſas in majori luce ponant*, *deſiderari.*

6. DIALECTOS ORIENTALES, & *præſertim* ARABICAM, *eſſe* LINGUAS PLEBEJAS, RUSTICAS, *indoctas*, *cultus & nitoris expertes* &c. &c.

LVII. Fateor enimvero exarſiſſe quoque nonnunquam *Cl. Guſ-*
mite, & modeſtum, ingenium Clariſſ. *Guſſetii*, adverſus *ſetius*
Dialectos, quas non didicerat; eo tamen uſque ſeſe e- *eo non*
vehi paſſus non fuit; quemadmodum nec ſuperiores illos *provectus.*
exceſſus prudentiæ ſuæ, & moderationi, permiſit.

Non permiſiſſent quoque Illa adhuc tempora, quum *Orientalis Literatura* ſic ſatis florebat, tantam Viri oppoſitionis Illiberalis, quæ *Luci*, & *Evidentiæ Manifeſtæ*. adeo non cedit, ut neſcio quibus nebulis ſe *Lucem*, & *Evidentiam Manifeſtam*, offuſcare poſſe confidat.

LIX. His, reliquiſque, aggreſſionibus *Theologi Gro-* *Recen-*
ningani, ex ſola Ignoratione *Linguarum Orientalium*, & *ſetur*
Status Rei Hebraicæ æque, ac *Controverſiæ*, profectis, *Mate-*
oppoſui menſe *Junio* 1737, *Velitatiunculam* ſecuturis mox *ria pri-*
Vindiciis Originum, & *Opuſculi* de *Defectibus Hodiernis*, præ- *mæ diſ-*
miſſam. *putat.*

CI. Drieſſenio oppoſitæ. Decem Hypotheſes circa Viam Hebraïzandi.

In ea *Diſputatione*, quæ conſtituit *Cap.* VII. *Tom.* II. *Origin.* recenſeo diverſiſſimas illas *Hypotheſes*, quae circa rationem *Hebraizandi* obtinent; tam vagas, diſſonaſque, ut mihi quidem nulla doctrina vel Divina, vel Humana, tantis unquam tenebris implicita, ac circumfuſa, fuiſſe videatur.

Exiſtimabam nil conducibilius fore, oculis omnium aperiendis, quam ſummatim *Hypotheſes* iſtas delineaſſe.

Idem adhuc judico: confidoque, neminem Eruditum, qui *Caput* iſtud rite perpenderit, & examinarit, a nobis in *Fundamento Cauſae noſtræ* diſſenſurum: ac non in *Veterem* & *Regiam Viam* nobiſcum conſenſurum.

Has pauciſſimis lineis & hic ſtrinxiſſe, ſub conſpectumque dediſſe, juvabit: ſecundum *Decem*, quas percenſui, *Claſſes*.

Prima Hypotheſis *Iſ. Voſſii.*

LX. Primum locum tribui *Voſſianiſmo*; quo contenditur *Linguam Hebræam* tam diſcrepantem eſſe ab aliis *Linguis humanis*, ut nulli in terris *Fontes* inveniantur, unde *Notitia* ejus hauriri queat. Falſa eſſe omnia, quæ *Rabbini* ex *Dialectis*, *paraphraſibus*, & *uſu domeſtico*, de *ſignificatione Radicum Hebræarum* tradiderint.

Falſa, quæ hinc in *Verſiones*, *Commentarios*, & *Lexica Chriſtianorum* ſint tranſſumta.

Nullum genuinum *Fontem Hebraïzandi* in Terris reſtare, præter LXX. Interpretes, a *Chriſto*, *Apoſtolis*, & *primitiva Eccleſia*, approbatos.

Ex hac *Verſione* LXX *Virali* igitur textum *Hebræo-Biblicum*, qui infinite per *Rabbinos* ſit contaminatus, ac corruptus, infinitis in locis emaculandum: nec aliud quicquam pro *Hebraica Veritate* agnoſcendum, quam quod *Auctoritate Græcorum* interpretum ſanciri, ac confirmari queat.

Quas ruinas dare queat illa *Hypotheſis*; omnes vident, quo-

Digitized by Google

quomodo refutari aut poſſit, aut debeat, pauci ſentiunt: neque enim alias *Fontes Dialectorum* clauſos vellent: ex quibus ſolis *Voſſianiſmum* ſuismet armis revincere, ac jugulare, datur.

Hoc obiter a me inſinuatum, atque ab *Intelligentibus* perceptum, Occaſione *Viæ Veteris & Regiæ*, quam conſcribere aggreſſus ſum, in clariorem diem expromerur.

LXI. *Secundum* locum dedi *Pontificiorum* pro *Vulgata Verſione* zelo; cui, exploſis *Rabbinis*, *Hebraizantibus*, & *Dialectorum Orientalium cultoribus*, omnia deferunt; quae vel ad *ſecundarias*, vel ad *primarias poteſtates Vocum Hebraicarum* conſtituendas, requiruntur. *Secunda Pontificiorum.*

LXII. *Tertio* loco ſubjunxi *Liberaliorem* multo, & ſic ſatis *Eruditam* ſententiam, quæ LXX, & *Vulgatum*, cum reliquo *Veterum Interpretum* choro conjungit: atque illas *Faces* ita *prælucere* contendit, ut nihil illuſtrius ad *Intelligentiam Linguæ Hebrææ* deſiderari queat. *Tertia liberalior.*

LXIII. *Quartum* gradum aſſignavi *Rabbinicæ Scholæ*, qnae ad *Lucem paraphraſium Chaldaicarum*; itemque *Aramææ* atque *Arabicæ Dialecti*, ſeculis X. XI. XII. XIII. fere enituit: & *Linguam patriam* reſtituere conata fuit. Ex auctoritatibus horum collectus potiſſimum *Theſaurus Linguæ Sanctæ*, quem *Pagninus*, *Mercerus*, aliique principes *Hebraïzantium*, ſeculo XVI. concinnarunt. *Quarta Rabbinizantium.*

Hinc reliquos *Lexicographos* ſua ferme derivaſſe, nemo ignorat, niſi qui in Literis hiſce noſtris ſic verſatur, ut ultra Limina procedere non amet; unique ſe vel *Verſioni*, vel *Lexico*, dedat.

Quid in hac *Schola*, *ad Dialectorum Cognitionem* fundata, erecta, propagata, reperiatur ſolidi, & confecti; quid quod ulterioris *Lucis* indigeat; ut paſſim in *Originibus* inculcatum; ita procedente illo *Opere*, plenius diluceſcet: quin vel ex *Capite primo Viæ Veteris* ac *Regiæ* jam diluxit.

LXIV.

Digitized by Google

Quinta Metaphyſica Forſteri, *plane ludibunda.*

LXIV. Quum hæc *Schola* medio *ſeculo* XVI. cum *Reformationis luce* pulcre inciperet floreſcere, ſubito exortum, *Quinto loco*, eſt *novum* & *paradoxum* illud *Syſtema Forſterianum*, quod *Rabbinorum* & *Hebraïzantium* conatus omnes explodens, ex *ſolo textu Hebræo*, LOCORUMQUE *accurata collatione*, promittebat omne illud *Lumen*, quod ad *ſignificationes* tam *primarias*, quam *ſecundarias*, præluceret.

Fuit primus veluti niſus *Syſtematis Metaphyſici*; qui mirifico quodam *Alliterationum* artificio

Deſtruit, *ædificat*, *mutat quadrata rotundis.*

Id *Cap.* VII. *Tom.* II. *Orig.* paucis tactum, pleno in die collocabit progreſſus *Viæ Veteris* & *Regiæ*.

Itemque Avenarii.

Huic cognata *Hypotheſis Avenarii*, incredibiliter luxuriat, atque *Hebræam Linguam* naſi inſtar cerei quo lubuerit cumque detorquet.

Huic ſeſe opponens ſexta, *quæ* Dialectorum *Auctoritatem ſequitur.*

LXV. His *Chaos* aliquod vaſtum, ac confuſum, pro pulchra fabrica inducentibus, ſeſe, *Sexto*, oppoſuit, ex *Rabbinica Schola* ortum *Syſtema Hebraïzandi* ad lucem *Dialectorum*, cum ut ea quæ in *Verſionibus Veterum*, & *Commentationibus Rabbinorum*, ſolida eſſent, confirmarentur: tum ut ubi DEFICERENT hi FONTES, DEFECTUS illi explerentur.

Hujus *Syſtematis* triplex palma; per quam alia omnia præ ſe delet.

1. Prima eſt, quod ſola ſit *Rationalis*, & *Eruditis* hominibus digna.

2. Secunda, quod hinc ſteterint omnes in Univerſum *Theologi*, & *Philologi*, qui in *Lingua Hebræa* enucleanda excelluerunt.

3. Tertia, quod nemo unquam *Dialectorum auctoritati* & *utilitati* oblocutus ſit, niſi qui *auctoritati* ſuæ, hac in par-

te,

Digitized by Google

te, non ſatis conſuluiſſet; diſcendo ſaltem ea, de quibus ſententiam ferre ſuſtineret.

4. Quartam addere licet, quod etiam illi, qui *Dialectis* obloquantur, omnem tamen earum uſum negare non audeant. Litigant ſolum de *Finibus*; atque interim qui ſint *Fines*, neutiquam compertum, & exploratum ab iis haberi, ex ipſo litigandi modo pellucet.

Septima Cl. Bohlii, *tota Metaphyſica.*

LXVI. Expoſita, *Septimo*, *Hypotheſis Bobliana*. Ea medio ſeculo XVII. novam irruptionem fecit in *Veterem* & *Regiam viam*; atque *Origines*, ſive *Formales ſignificationes Verborum*, quas DEFICERE in *Lexicis* agnoſcit, ex *Metaphyſica*, & *Lumine Logico*, promittit, citra ullam *Dialectorum* opem.

Laudandus in eo Vir ingenioſus, quod *Dialectos* excludens, ſimul cordate profeſſus ſit, ſe eaſdem ignorare.

Ne prudentiſſimi quidem *Lutheranorum* Methodum probarunt unquam: ſed ut eam periculoſiſſimam, tum quum caput confidentiſſime extulit, judicarunt; ita etiamnum judicant. Qui judiciis humanis nunquam certavi, claris rerum documentis id demonſtrabo, quum *Viæ Veteris & Regiæ* progreſſus illuc me perduxerit.

Octava Cl. Guſſetii, *item* Metaphyſica *plura ſibi permittens.*

LXVII. Subſerui, *Octavo*, finitimam *Methodum* Cl. *Guſſetii*; quæ cum ſeculo XVIII. coorta, Omnem *Eruditionem Orientalem*, in *Belgio* feliciſſime ſemper excultam, ita ſenſim, ac pedetentim, ſubruit; ut quæ inter initia *Capiti* ſuo vereretur, nunc gravis immineat; & *Veteri* ac *Regiæ Viæ Novitatis* dicam impingat.

Quantas illa ruinas trahat, & patuit ex nupera noſtra *Scriptione*; & patebit; tum *Excurſibus* hiſce noſtris: tum in reliqua Cura, qua *Metaphyſicam Hebraïzandi Methodum* Veris, Juſtiſque, armis revincendam ſuſcepi: revinci tamen & ipſe paratus, ſi Veriora ac fortiora meis arma adverſus Syſtema *Hebraïzantium*, & *Arabizantium*,

pro quo depugno, expediri queant.

Nona Hieroglyphica. LXVIII. *Nonum* locum dedi *Hieroglyphicæ Methodo*, quæ *Significationes* cum *Formales*, id eſt *primigenias*, tum *derivativas* i. e. *Metaphoricas*; *Metonymicas*, *Synecdochicas*, totamque adeo *Rhetoricam Hebrææ Linguæ* eruit, & exſculpſit, ex *Literarum Figuris*, per ſubtilitates plus quam *Metaphyſicas*; quæ Omnem Judæorum *Kabbalam* longis poſt ſe relinquat intervallis.

Cl. *Drieſſen:* qui in *Cauſa Ling: Hebr: adverſus Arabiſmi abuſum* proteſtatus eſt, ſibi *nihil cum* NEUMANNO & LOESCHERO, magnis hujus *Methodi* commendatoribus, commune eſſe: aliquot menſibus poſt in *Belgica præfatione Operis practici de Veteri & Novo homine* pios ſuos Lectores, & Lectrices, commonuit; ſe *Syſtema* hocce jam admirari, atque adamare, coepiſſe: uſque eo, ut *Divinitatem Literarum*, *Vocalium*, & *Accentuum* quoque, inde ſe evicturum promittat.

Hoc nempe ſupererat, ad *Linguam Hebræo-Biblicam*, quam, etiam qua *Linguam*, totam *Divinam* pronunciaverat *Metaphyſicus Linguarum Tractator*, & *Divinæ* per omnia *Conſtructionis*, in ſupremum *Culmen*, & *Faſtigium Divinitatis*, ſubvehendum.

Quid ſublimiſſimus hicce Volatus *Belgio* daturus ſit, dies docebit.

Decima Cl. Diſſertatoris quæ culmen imponit Guſſetianiſmo. LXIX. Debuiſſem *Novem* hiſce *Claſſibus*, quas menſe *Junio* Anni 1737. ſub oculos tuli, adjunxiſſe *Decimam Hypotheſin*, quæ cum *Octava Guſſetiana* intime conjugata, atque connexa; niſi quod ut fieri aſſolet, *Metaphyſica* meditatio, *Linguarum humanarum* finibus ſeſe eximens, ad *Divinam* quandam *Regionem* ſeſe extulerit; in qua *Lingua Hebræa* collocanda, atque in poſterum indaganda foret.

Huc certè tendere videtur *Excurſus* Ille qui A°. 1736. con-

Digitized by Google

contra *Syſtema* noſtrum *Commentario de Ortu Chriſti ex Davide* inſertus: & ſupra *pag.* 17. 18. inde delineatus.

Quando tamen a me impetrare non poteram, ut hanc genuinam eſſe ſententiam Graviſſimi *Theologi* exiſtimarem; quin Vererer, ne aliquid Viro ſumme Venerabili affinxiſſe videri poſſem; atque adeo vere adfingerem, quod ab Ejus Mente toto Cœlo abhorreret: *Recentis* hujus *Opinionis* mentionem mihi non permiſi; Officioſumque duxi, ac Religioſum, eam Amico ſilentio præterire. *Eam Anno 1737. amore, & honore, erga Virum venerandum, ſilentio preſſi.*

Sperabam ſcilicet, ut ſupra inſinuavi, Virum Veritatis haud dubie mecum Amantiſſimum, Luci Evidentiſſimæ rationum, ac demonſtrationum, quam in *Vindiciis* adverſus *Clariſſ. Drieſſenium* prolaturus eſſem, ultro ceſſurum, & ſociam mihi dextram in *Veteri* ac *Regia Hebraïzandi Via* commendanda porrecturum.

Ne nunc quidem Iſtam Spem depoſui: atque hanc ipſam præſentem Scriptionem, moleſtiorem alias futuram, ea cogitatio majorem in modum ſublevat, erigit, animat; quod confidere & poſſim & debeam, diſcuſſa nubecula quam non recte perceptum Vocabulum DEFECTUUM excitavit; & *Syſtematis* noſtri *Puritate* in clariſſimum diem educta; cum Honoratiſſimum Virum, tum reliquos Viros *Theologos* totius *Belgii*; quibus *Eruditionis* & *Religionis Reformatæ* incrementa cordi, non amplius hac in parte a me diſſenſuros, ſed in Cordatiſſimam conſenſionem, atque aſſenſionem Veritatis, deſcenſuros.

LXX. Injuriam profecto facerem Æſtumatiſſimis meis Fratribus, & Amicis, qui Sanctuario Dei præſident in *Belgio*; niſi eodem *Reformationis* & ſuſtinendæ, & propagandæ, amore, quo me incenſum profiteor, Eos flagrare autumarem. *Dialectorum ſtudium eſt* Reformationis *fulcrum.*

Jam vero ſumma cum fiducia aſſeverare auſim, *Reformationis Lumen* ne manſurum quidem ſuper *Candelabro Belgii*,

gii, nedum ut lætius, lætiuſque, *Radii* illius ſplendeſcant, niſi *Vetus* & *Regia Via Hebraïzandi* maneat; ut ſic per Veſtigia principum in *Literatura Orientali* Virorum, qui ſeculis XVI. & XVII. magnum Dei opus felicibus auſpiciis inceptum, felicioribus progreſſibus propagarunt, ad majorem adhuc in multis Lucem, ac perfectionem, ſtudium *Linguæ Hebrææ* hocce ſeculo XVIII. junctis operis, humeriſque, provehatur: atque cum Lampade purioris *Doctrinæ Theologicæ*, fax quoque *Linguarum Orientalium* ad poſteritatem tranſmittatur.

Non controverſioſum eſt Syſtema, quod defendo: ſed Experimentalis veritatis.

LXXI. Dignitas, Gravitaſque, Cauſæ Dei, quam me defenſare ſcio, in præclara hac ſpe & cogitatione *Oris* mihi addit *apertionem*; quod, ut alias etiam commonui diſſentientes, non *Metaphyſica* quædam *Quæſtio* agitetur: non *Anceps* tractetur *Problema:* non *Materia Controverſioſa* a me proferatur, atque *Erudito orbe*, cujus *Judicia* revereor, inſpectante diſceptetur: ſed *Liquidiſſima* & *Fundatiſſima Veritas*, quam ab aliquo tempore apud quoſdam, apud multos etiam forte; non tamen apud omnes, ne apud plurimos quidem, obſcuravit neglectus *Literarum Orientalium*, ex Sanctiſſima obligatione Muneris, & Profeſſionis meæ, a me aſſeratur, & vindicetur, adverſus invaleſcentem, & jam ſeſe corroborare molientem *Guſſetianiſmum:* quo nihil *Hebraicæ Linguæ* ruinoſius dari poſſe, re rite examinata, ac perpenſa, concedant neceſſe eſt Omnes, qui Linguas Literaſque Humaniores, ut par eſt, excoluerunt.

Immota tenemus Fundamenta.

LXXII. Hoc *Vindiciæ Originum* noſtrarum: nec non *Opuſculi de Defectibus Hodiernis noſtræ cognitionis in Lingua Hebræa*, adverſus Cl. *Theologum* ſuſceptæ, pervictum, ac demonſtratum, dederunt, apud omnes, qui ad *Fundamenta* noſtrarum *Originum*, & *Literaturæ Humanioris*, attendunt: quibuſque integra de his judicia ferre conceſſum.

Niſi

Niſi ſolida, atque immota, eſſent principia, quibus *Syſtema Hebraizandi*, quod ſequor, innititur; ſiſti res non potuiſſet; nedum firmo pede reſiſti: plura nunc non addo; neque ob refutationem tam facilem quicquam mihi arrogatum velim.

Ea infelicius tentata a Cl. Drieſſen.

Utinam Vir ille Clariſſ: non ignoraſſet ſaltem, quid Ego cum *Literatoribus* omnibus per *Origines* intelligam: atque, ſi non reliquas forte *Dialectos Chaldaicam*, & *Syriacam*: *Arabicam* ſaltem inſalutatam adhuc tunc temporis habuiſſet.

A congreſſu noſtro hos fructus redundaſſe ſpero ad Virum Clariſſimum; cui pro *Cauſa Dei*, & *Religionis*, juſtis, ac convenientibus aggreſſioni armis, reſiſtere debui; ut Ultro nunc agniturus ſit:

I. Nunquam me LINGUÆ HEBRÆO-BIBLICÆ ullos DEFECTUS adfricuiſſe, quibus INTEGRITAS, DIGNITAS, PERSPICUITAS, aliæque DIVINÆ DOTES SACRI CODICIS delibarentur: ſed contra ſemper adverſus audaciores *Criticos* illius LINGUÆ EXCELLENTIAM, EVIDENTIAM, GRAVITATEM, GRANDITATEM, ac vere COELESTEM DIGNITATEM *in* ORACULIS PANDENDIS, religioſe propugnaſſe.

Quid in Vindiciis *meis ad oculum demonſtraverim jam.*

II. DEFECTUS ergo illos, quos indicavi in OPUSCULO ſic inſcripto, eſſe DEFECTUS HODIERNÆ COGNITIONIS NOSTRÆ IN ILLA LINGUA; QUÆ COGNITIO AD MAGNAM SANE MENSURAM *provecta aliquot ſeculorum curſu, haud dubie ſub provida Dei erga Eccleſiam Cura* CRESCERE *poſſit*; *atque* LÆTIS ACCESSIONIBUS CUMULARI.

III. Hoc neminem *Doctorum* in *Eccleſia Reformata* negare poſſe, quin eo ipſo *Spiritum Reformationis* exuat, atque ejuret.

LXXIII. Ubi hæc inter Virum Clariſſimum, & me, convenerint; reſtabit diſcuſſio de *Linguæ Arabicæ* vel *Auctorita-*

Digitized by Google

ritate, in relatione ad *Linguam Hebræam*, ſive *Hebræo-Biblicam*, quando ita nunc malunt *Theologi* nonnulli; vel *puritate*; per quam idonea ut eſt, ita ab omnibus *Eruditis* agnoſci debeat, ad *Hebrææ Linguæ Analogiam* ulterius illuſtrandam, ac perficiendam.

Ad Arab. Ling. *auctoritatem elevandam Cl.* Drieſſ. Linguam Hebræam Divinam tetendit.

א. Si ad *Auctoritatem Arabicæ Linguæ* infringendam confugiatur ad *Divinitatem* non jam *Scripturæ*; ſed ipſius *Linguæ Hebrææ* in omnibus ſuis *Vocibus*, & *Significationibus* non ſolum; ſed & *Conſtructionibus*: video quidem certamen exoriturum, in quo Clariſſ: *Drieſſenius* & reliqui Viri Doctiſſimi, qui iſtas partes tutari volent, non adeo indigebunt *Literaturæ Arabicæ Elementis*: ſed ſimul prævideo, illam *Pugnam* non adeo diu poſſe extrahi: quippe quæ ab ipſis Viris Doctiſſimis ſponte ſit dirimenda, quando *Conſequentias Opinionis* tam *Paradoxæ*, tam ab omni ſpecie Veritati repulſæ, accuratius examinaverint.

ב. Remanet ergo *Quæſtio* de *Puritate Linguæ Arabicæ*; ejuſque cum *Hebræa* ſuaviſſima illa *Harmonia*, quæ ei *Dialecti non degenerantis* jura vindicet.

Arabicam *autem* impuriſſimam *pronunciavit.*

Ad hanc cum fructu publico ventilandam nemo non agnoſcit *Cognitionem Dialecti Arabicæ* perneceſſariam eſſe; quum ſine ea nec *oppugnatio* ferire queat; nec *propugnatio* proficere; optatumque perſuaſionis, & evictionis, effectum ſortiri.

Humaniſſime ergo oratum velim cum *Clariſſimum Theologum Groninganum*, tum reliquos, ſi forte, Adverſantes; ut *ſecundam* hanc *Aciem*, quæ ex *Impuritate Ling. Arab.* nos impetit, in *Syſtema* noſtrum educturi, cognitionem, & copiam, *Dialecti* illius ſibimet ipſis non amplius ſubtrahant: quod alias vel ſumma *Auctoritas* pondus non ſit habitura; neque aliud quicquam effectura; quam ut *Veritas* nunquam ſatis internoſci, atque dilucere, queat.

LXXIV. Qui nihil magis ſemper in Votis habui, aut habe-

Digitized by Google

habebo unquam, quam ut cum *Pace Eccleſiæ*, *Dignitas* creſcat *Reformationis*, & *Veritatis Lumen* plenis radiis effulgeſcat, in hoc ipſo *Excurſu* ejus mei animi ut indicium, ita pignus publicum, exhibeo.

Oſtendi nempe placide, & cum debita erga diſſidentes amicitia, ac veneratione, in quo *Status Controverſiæ* conſiſtat: quæ mihi ſi non plurimis eorum qui de noſtris Rebus judicant, bene multis ſaltem, hactenus incognita, certe non enucleate cognita, ac perſpecta, fuiſſe videtur. *Gravioris adhuc Auctoritatis contentio*

Si ſuper illo *ſtatu* pede preſſius collato cordate, & candide, diſputetur; intra unius, alteriusve, menſis ſpatium omnis DISSENSIO poterit FINIRI; tam ea, quæ mihi ſemper interceſſit cum iis, qui Cl. *Guſſetii Methodum Metaphyſicam* amplectuntur: quam quæ nuperrime exorta, occaſione *Novæ* illius *Sententiæ* quam Honoratiſſimo *Theologo* ante *Triennium* circiter adoptare, atque in *Opere Belgico* adverſus *Syſtema* omnium *Hebraizantium* æque, ac *Arabizantium*, vulgare placuit. *adverſus nos coorta.*

LXXV. Huic *Novæ Sententiæ* quum Cumulum imponat *Diſſertatio de Lingua primæva* &c. ante quatuor menſes fere in *Orbem Eruditum* emiſſa; non eadem mihi *Libertas Silentii*, quam *Scriptio Belgica* reliquerat. Nempe Commutata omnia. Rationes honeſti *ſilentii* non ſolum ceſſant; ſed in contrarium verſæ, eam mihi imponunt *Neceſſitatem*, qua nulla arctior, gravior, religioſior, ullo in *diſſidio Erudito*, excogitari poteſt: ſive *Privata*, ſive *Publica*, mea officia ſpectentur. *Ea ſilentium abrumpere cogit.*

LXXVI. Ad *privatam* quod attinet *Obligationem*, quæ propiorem congreſſum a me depoſcit: *Sanctiſſimæ obligationes, quibus adigor ad Cauſam*

A. Apparet, propius nunc mihi admotam *Quæſtionem*, quam A°. 1736. factum fuerat; per *Locutiones* quaſdam, quas ad omnes in univerſum *Arabizantes*, qui ante me fuerunt, atque Celebritate intaminata florent in *Orbe Eru-*

dito,

Digitized by Google

Dialectorum *ſuſtinendam.*

dito, extendi ſane nollet ſumme venerandus *Theologus*.

II. Quamvis non nominer; *eos* tamen *colores* ubique pellucere quivis cernit, qui me, meaque omnia, omnium oculis, judiciisque, ſubjiciant.

III. Quia hi *colores* interim, ex *præjudiciis* orti, *præjudicia publica* contra me fovere poſſent, & deberent; jam ipſe venerandus *Diſſertator*, pro *Sapientia*, *Juſtitia*, *Gravitate*, & *Religione* ſua non improbabit, ſpero, ſi & *Ipſum*, quem honoro, & Alios, quos amo, & colo, illis præjudiciis adverſus me conceptis, & commotis, hac *Reſcriptione Amiciſſima* liberare, atque exſolvere, annitar.

IV. His accedunt alia bene multa, quæ mihi cum *Linguarum Orientalium Cultoribus*, & *Commendatoribus*, ad *Linguæ Hebrææ ſtudium* ulterius excolendum, & perficiendum, communia.

Talia ſunt

1. DIALECTORUM ORIENTALIUM abſoluta NECESSITAS, ad *Linguam Hebræam* intime intelligendam.

2. Earundem cum *Hebræa* COGNATIO, & CONSANGUINITAS evidentiſſima.

3. ARABICÆ præſertim, præ *Chaldaica*, *Syriaca*, *Rabbinico-Thalmudica &c.* UTILITAS, ad id, quod adhuc DEFICIT noſtræ COGNITIONI, præſertim pro SIGNIFICATIONIBUS PRIMARIIS, grata acceſſione cumulandum.

4. Ejuſdem ARABICÆ PURITAS INTEGERRIMA, *nulliſque ſeculis præflorata*.

5. ANTIQUITAS denique DIALECTI illius, quæ cum *Hebræa*, ſi ab *Heberi* primum *Domo*, dein ab *Abrahami familia*, appellationem iſtam, ut par eſt, derivemus, pari paſſu ambulet.

Hæc

Digitized by Google

Hæc omnia a Magnis in *Orbe Erudito*, & *Literatura Orientali*, Viris, *Seculo præcedente* probata & evicta, niſi defenderem, nihil admodum ex ſcriptis eorum profeciſſe: quin *Cauſam* iſtam quam *toto Curſu Profeſſionis* meæ ſuſtinui, atque e *Cathedra* docui, inculcavi, commendavi; &, Gratia Dei adſpirante, docere, inculcare, commendare *optima Fide* pergam, ne quidem intelligere viderer.

LXXVIII. *Sanctiora* eſſe hæc *vincula*, quam ut iis me exſolvere poſſim, omnes ſentiunt.

Multiplex imprudentia eorum qui Dialectos impugnant.

Quid ſi non *privata Arabizantium Cauſa* nunc in periculum vocetur, ſed *publica Hebraïzantium?* Invidiam movere, non eſt meum. Vera & juſta habeo arma, quibus pugnem pro veritate. In re tamen manifeſta, & probe examinata, tacere, non candidi, ſed ignavi, & infidi, eſſet hominis.

Ut *Linguæ Hebrææ Profeſſor publicus* ergo, bene gnarus quid dicam, & quid bonis documentis comprobare valeam ad *Tribunal Reip. Literatæ*, nunc commoneo omnes, qui *Dialectos* æquis auribus ferre nequeunt; & præſertim innoxiam illam *Arabicam* neſcio quo Zelo a *Lingua Hebræo-Biblica* aſpernantur: eos imprudenter id committere; quod ab ipſorum mente ac intentione longiſſime repulſum. Scilicet,

I. Qui *Dialectos* impetunt; totam *Rem Hebraicam* labefactant: atque omnibus *Lexicis*, *Verſionibus* & *Commentationibus*, quibus *Eccleſia*, & *Orbis Eruditus* gaudet, fundamenta ſubtrahunt.

II. Qui *Dialectos* Auctoritate ſua premunt, indeque *ſtudioſos* deterrent; impediunt quo minus *Lampades Candelabri* in *Sanctuario Dei* nitidari, & a multa fuligine repurgari queant.

III. Qui *Dialectis* auctoritatem detrahunt, dignitatem, & auctoritatem, ſibi ſuam deminuunt.

IV. Qui *Dialectos* oppugnant, ſemet ipſos oppugnant, & tum *Pontificiis* hinc, tum *profanis* atque *Audacibus Criticis* illinc, nuda latera præbent.

V. Qui *Dialectorum Studium* ſufflaminant; *Opus Reformationis*, quod ad eam Lucem ortum, propagatumque feliciter; ſufflaminant.

Plura alias: occaſione oportuniore.

Sanctiſſima obligatio novam Hypotheſin *ſub Examen mittendi.*

LXXVIII. Major adhuc ſurgit rerum moles; quam ſi, honoris & amoris cauſa, A°. 1736. ab humeris meis demovere mihi licuit; nunc quidem non amplius idem permiſſum. Scilicet *Latine* jam confirmata, ampliata, atque univerſo *Orbi Erudito* inculcata voluit Cl. *Diſſertator* placita illa nova circa *Linguam Hebræam*, quæ provulgata fuerant per *Inſertionem*, ſive *Excurſum*, adverſus nos inſtitutum in *Commentario Belgico* de *Chriſti Ortu e Davide.* Niſi ea approbaſſe videri velim; vel ſaltem nihil magnopere habere, quo hæc quaſi decreta infirmare valeam; promendum mihi eſſe video honeſte, modeſte, amice, quid de iiſdem ſentiam.

LXXIX. Duo in præſentia tantum enotabo, quod reliqua inde ferme dependeant.

In præſenti duæ Theſes *enotantur.*

I. primum eſt, quod *dubitare* ſe profiteatur Venerandus *Theologus*, LINGUAM HEBRÆAM *unquam ulli genti, ne* ISRAELITICÆ *quidem*, VERNACULAM *fuiſſe:* quin *Quæſtionem* eſſe *Facti* hanc; *quæ nec probata ſit hactenus; nec unquam probari queat.* Vide *Diſſert. pag.* 198. 199.

II. Alterum; *Linguam Hebræo-Biblicam eſſe ergo* SINGULAREM *plane*, & DIVINÆ *cum* ORIGINIS, *tum* AUCTORITATIS; *reſpectu tam* NOTIONIS, *quam* STRUCTURÆ *in* OMNIBUS & SINGULIS *vocabulis*. Vide *pag.* 195. collata *pag.* 146. *Diſſert.*

His duobus placitis, ſuper quibus Cardo *Diſſertationis*

de

de Lingua primæva volvitur, nihil eſſe infirmius, Ipſe Venerandus *Theologus* perſentiſcet, ſi dignetur novis curis ſubjicere cogitationes, quæ media in *Diſſenſione* noſtra circa *Auctoritatem Dialectorum* obortæ, iiſdem omnem uſum derogare poſſe videbantur: quum tamen revera illis *Theſibus* admiſſis *Verbum Revelationis* vel in totum *inacceſſum* nobis redderetur: vel ope *Dialectorum* tantum recludi tandem poſſet.

LXXX. Ajo *Verbum Revelationis* INACCESSUM fore nobis, ſi LINGUA HEBRÆA vel DIVINA PLANE *eſſet*, illo ſenſu, adſpectuque; vel *a* POPULARI HEBRÆORUM USU *diremta*; *illique Genti* NON VERNACULA *olim.* *Quid conſequentiæ traberent illæ.*

Quid? an non *Judæis ipſis* idem illud *Verbum Revelationis* tunc ſemper *inacceſſum manſiſſe*; hoc eſt, REVELATIONEM NON *fuiſſe* REVELATIONEM; manifeſto inde conſequetur?

Ita certe ipſe graviſſimus *Theologus* judicavit nuperrime adhuc; quum Anno 1730. *tertiam Editionem* procurans *Commentarii de Veris Viis Dei* hanc ſolidæ frugis, & Eruditionis, *annotationem*, quæ ſecundæ *Editioni* adjecta fuerat, denuo *Eccleſiæ* exhibuit: eidemque ad firmamentum Sacro-Sanctæ *Fidei*, ac *Religionis*, inculcatam voluit: *pag.* 721. 722. " *Quum inſinuo, hominem non debere contentum* ,, *eſſe verſione*, & *traveſtitione Oraculorum Divinorum in* ,, *Vernaculam ſuam; prudens Lector, ut confido, facile in-* ,, *telligit; id dici tantum reſpectu plenæ*, & *nulla in parte* ,, *deficientis certitudinis Oraculorum. De hac enim, pro ſcopo* ,, *meo, mihi erat dicendum.* *Judice ipſo venerando Theologo.*

,, *Neutiquam autem* LINGUAM ORIGINALEM *Sa-* ,, *crarum Scripturarum tantopere adurgeo; quaſi* PUTA- ,, REM, EAM IN SE *eſſe* SANCTIOREM: *aut quaſi* ,, DEUS *potiſſimum* HEBRAICA & GRÆCA LINGUA

 ,, *uſus*

„ *uſus fuiſſet*, *ob* EARUM SANCTITATEM *quandam*.
„ NEUTIQUAM *vero!* PROBE SCIO, *Deum has* LIN-
„ GUAS *elegiſſe*, *vel*, *quia populus*, *cui Deus* REVELATIO-
„ NEM *dabat*, *ad aliam Linguam* NULLUM *habebat* AC-
„ CESSUM: *vel*, *quia illa* INTER MULTAS GEN-
„ TES, MAXIME USITATA *erat*. *Sic Deus Libros Vet.*
„ *Teſt.* HEBRAICE *dedit Iſraeli*: *quia Iſraelitæ illis diebus*
„ NULLAM ALIAM LINGUAM *intelligebant*, &c.
„ &c.

Alia ibidem ſubſequuntur. *pag.* 722--728. quæ ad *textus Biblicos* CHALDAICA DIALECTO *conſignatos* pertinent, quibus *ſigillum* quoque meum, ut ante ſic, nunc denuo appendo.

Deinde *pag.* 728. ſic ſumma concluditur. „ *Cum hac*
„ *demonſtratione* ROBUR *tamen* SUUM *retinet illa* VE-
„ RITAS; DEUM *quum* LINGUA UTITUR, *ſemper*
„ *illam eligere*, *quæ* GENTI ISTI, *quam alloquitur*, PRO-
„ PRIA *ſit*. *Ideo* CUM JUDÆIS HEBRAICE *locutus*
„ *eſt*. *Si autem velit*, *ut* CHALDÆI *intelligant quid di-*
„ *cat*: *illud ipſum*, *quod a* CHALDÆIS *vult intelligi*,
„ CHALDAICE *conſcribi curat*: *poſtremo quum Euangelium*
„ *in toto terrarum Orbe annunciari vellet*, *elegit* GRÆ-
„ CAM, *ut omnibus Gentibus maxime familiarem*.

Inſiſtitur in harum Theſium pericula.

LXXXI. Luce clarius apparet, Concedente, Evincente, Demonſtrante, ipſo *Celeb. Theologo*, graviſſima *Veritatum* pondera trahi, ac ſuſpenſa eſſe, a gemina hacce *Theſi*. Et quidem:

I. primam, quod LINGUA HEBRÆA HEBRÆIS NON VERNACULA *forte fuerit*; ipſa *Revelationis Fundamenta* ac *Firmamenta* ſollicitare. &c. &c.

II. Alteram, quod LINGUA HEBRAICA, *qua* LINGUA, *in ſe* DIVINA *eſſet*, a *Linguisque reliquis* SEPARATA *per Veram quandam*, & INTERIOREM SANCTITA-

TATEM, omni *Rationi*, *Philoſophiæ*, & *Theologiæ*, directa fronte adverſari. &c. &c.

Hæc quum princeps *Theologus* crediderit, tenuerit, ſanxerit, Sigillo Auctoritatis ſuæ in *Academia*, & *Eccleſia*, obſignarit A°. 1730. necdum a me impetrare poſſum, ut ſibi ipſi diſſimilem, & adverſum, factum exiſtimem Virum Honoratiſſimum: cujus in *Academiam*, & *Eccleſiam* tanta, tamque præclara, merita.

Reperio quidem in *Diſſert: de Lingua primæva*, *pag.* 198. declarationem, quæ *Sententiam* a Viro Clariſſ: vere *Immutatam*, inſinuet. Sed quum ibi *Theſis* hæcce, LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULAM *fuiſſe*, tractetur tanquam GRAMMATICORUM ASSERTUM; unde nullo periculo deſciſci, & abiri, queat: pro candidiſſimo principio diſputandi, quo me animari ſentio, viciſſim declaro; *perſuaſiſſimum me eſſe*, & *manere*, Celeberr: *Diſſertatorem* vel aliud intendere, quam mihi hactenus penetrare datum: vel *Naturam*, & *Conſequentias* hujus *Theſeos* non ſatis attendiſſe, tum, quum *Guſſetianiſmi* defendendi Studium, Occaſione *Rhetoricationum* GUSSETIANARUM, hanc cogitationem, & ſententiam, menti offerebat.

Idem cumulatius adhuc judico de altera *Theſi*; LINGUAM *Hebræam*, qua *Linguam*, *in ſe eſſe* DIVINAM: *Omneſque ejus Voces*, *ſignificationes*, & *Conſtructiones*, eſſe *Originis*, & *Auctoritatis*, *Divinæ*.

Teſtatus ſum ſupra, atque etiamnum teſtificor, me nunquam Crediturum, hoc velle ſumme Venerandum *Theologum*, quod Verba primo adſpectu præ ſe ferunt.

LXXXII. Imprudens ergo, quin temerarium eſſet, quamvis amiciſſimæ diſputationis aciem inſtruere adverſus id, quod vel ex parte tantum percipio, vel in totum forte non aſſequor. *Ad enſque Elucidatio reverenter*

expetitur.

Non gravabitur, ut confido, proinde Celeb: *Diſſertator*, ſi, pro conjunctione & Amicitia noſtra, quam humaniſſime Eum rogavero, dignetur planius, pleniuſque, ſententiam ſuam circa *Geminam* hanc *Theſin* exponere; eaque in luce collocare, quæ me omni erroris periculo eximat.

Si fiat, magna me ſpes tenet, nec impeditam; nec moleſtam; nec ſane diuturnam, inter nos fore diſſenſionem; ſed brevi, quæ nunc toto coelo diſparata videntur, in conſenſionem, & concordiam exoptatiſſimam, conventura.

Hæc Elucidatio haud dubie præſtabit conſenſum jucundiſſimum.

Nempe *Duabus* hiſce *Theſibus* diſcuſſis, ad liquidamque rationem perductis, quod facillimum; quum utrobique haud dubie *Veritas* quæratur; reliquæ *Theſes*, quas hinc pendere dixi, ſponte ferme defluxuras; & Clariori Evictioni conceſſuras, læta cogitatione præſumo.

Gratulabor *Eccleſiæ*; Gratulabor *Academiæ*; Gratulabor Studioſis *Theologiæ*, Gratulabor & nobis, qui jam pro *Veritate* inter nos commiſſi; ſi ad *Veritatis* ſplendidam *Facem* Socias in perpetuum Dextras, ut ſpero, tandem committere queamus; & *Studium Biblicum* una mente, una voce, *ſacratis* Deo *pectoribus Optima* & *Fide*, & *Via*, commendare.

FINIS PRIMI EXCURSUS.

Digitized by Google

HEBRÆARUM, *quæ in* BIBLIIS NON COMPAREANT, *ex* METAPHYSICA SUBTILITATE *reſtitui poſſint*, *&* *debeant; an e* COGNATIS LINGUÆ HEBRÆÆ DIALECTIS, *ſecundum* RHETORICAM *&* CRITICAM ARTEM omnium LINGUARUM *ſint veſtigandæ?*

Ut hanc Convictionem *eluderet Cl.* Guſſet. *confugit ad* Rhetoricationes, *quibus contendebat*, Linguam Hebræam, *qua* Linguam, *aliquid* Divinum *in ſe habere; quod* ſua luce radiet. *&c. Cl.* Drieſſen. *addidit* omnem *ejus* conſtructionem *eſſe* Divinam plane; quæ Spiritum S. habeat Auctorem. *Hoc in* Vindiciis pag. 196. 197. *merum trahere* Fanatiſmum *monui: eo ipſo colligens*, *id noluiſſe* Theologum Groninganum, *quo* Verba *ejus ferre videbantur. Idem ſtatuo de conſimilibus phraſibus* Venerandi Diſſertatoris de Lingua primæva: *quibus efficere & vincere velle videtur*, Linguam Hebræo-Biblicam *eſſe* Divinam, *& a* Linguis humanis plane ſeparatam, ac diremtam.

Publice profiteor, ac conteſtor, me nec credere adhuc, nec unquam crediturum, *hanc* ſententiam *a Graviſſimo* Theologo *eſſe adſcitam: quantumvis multæ* Locutiones *&* Formulæ *huc tendant.*

Idem profiteor, ac conteſtor, de altera illa Nova *plane, & hactenus* inaudita ſententia; *qua Summe Venerandus* Theologus *inſinuat; nec probatum adhuc, nec unquam probandum:* Linguam Hebræam Hebræis unquam fuiſſe Vernaculam.

Digitized by Google

Hoc Divinitati Linguæ Hebrææ *ſuffulciendæ aſſumtum eſſe, facile apparet.*

Diceret aliquis, *&* *ſic Vulgo judicari audeo*, Diſſenſionem *noſtram* Literariam *gemina hac* Theſi *eouſque increviſſe*, *ut* Concordia *nulla ſperari queat.*

Ego vero Conſenſionem, *&* Amiciſſimam concentionem *præ foribus eſſe auguror: nam profecto ſumme Venerandus* Theologus *nec meos ſenſus recte hactenus intellexit; & Ego vehementer vereor ne Illius ſenſus necdum plane*, *& plene*, *ſim aſſecutus*, *in* Gemina *hacce* Theſi, LINGUAM HEBRÆAM TOTAM eſſe DIVINAM : *&*, EAM HEBRÆIS NON FUISSE VERNACULAM. *Omnino fieri nequit, ut non aliquid complicati his Verbis ſubſit; quod explicitum, atque enucleatum, omnem diſſenſionem ſpero, dirimet, atque jucundiſſimam Nobis ſententiarum conjunctionem ac conſpirationem, cum fructu ſolidæ Eruditionis, ad decus Reformationis, & Eccleſiæ, procurabit. Scribebam* Lugduni Batavorum *ipſis* Idibus Januariis : Anno MDCCXXXIX.

C O R R I G E N D A.

Præfat: pag: ult. verſ. 3. lege *Audio*

Strict: p. 20. verſ. 28. l. 1730.

p. 28. ad marg. l. infinite

p. 37. verſ. 18. l. Hebræo.

p. 70. verſ. 14. l. reliquas.

EX-

EXCURSUS SECUNDUS
AD
EDITIONEM PRIMAM
ET
SECUNDAM
DISSERTATIONIS
HISTORICÆ
DE
LINGUA PRIMÆVA, ETC. ETC.
AUCTORE
ALBERTO SCHULTENS.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM LUZAC.
MDCCXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERUDITO

ET

ÆQUO

LECTORI.

P*lacuit Cl.* Diſſertatori de Lingua primæva, *poſt* primum Excurſum, *amiciſſime & humaniſſime a me datum ad Editionem primam illius Diſſertationis*, Ejuſdem *Alteram procurare Editionem, mutationibus, inſertionibus, & notularum acceſſionibus, mire variegatam.*

Id conſilii inauſpicato capti, omnia mea conſilia, quæ auſpicatiſſime inita opinabar, ad Clariſſ. Theologum *ex* Lite, *in quam ſe infeliciter innexuit, feliciter evolvendum, ultro eludit, atque deridet.*

Qui Magnus in Eccleſia, *&* Academia, *ſe ipſo* Major *procedere potuiſſet, Veritatem cordate agnoſcendo, & quod humani paſſus erat, in* Excurſione

Digitized by Google

Belgica *adverſus me ſuſcepta* A°. 1736. *acriuſque continuata per* Diſſertationem *de* Lingua primæva, 1738. *honeſtiſſime corrigendo, explicando, ad Veritatis & Æquitatis normam reducendo: Occaſione ſibi Divinitus oblata uti recuſans, ſe ipſo Minorem ſemet reddidit: &* Magnanimitatis *vere* Theologicæ *palmam, quam temporibus ſuis circumdediſſet, immortalem, atque incomparabiliter glorioſam, amiſit. Indoleſco; & imbecillitatibus Maximorum quoque hominum ingemiſco. Dabam Lugduni in Batavis a. d. 6.* Junii MDCCXXXIX.

Digitized by Google

EXCURSUS SECUNDUS
AD
EDITIONEM PRIMAM
ET SECUNDAM
DISSERTATIONIS
DE
LINGUA PRIMÆVA,
ETC. ETC. ETC.

I. Læta omina, in quæ *Primus* noſter *Excurſus*, ante hos quatuor menſes admodum, deſinebat; *Secundo* huic auſpicatiſſimum præbent initium: atque ad *Alteram Editionem Diſſertationis de Lingua Primæva*, *Auctiorem & Emendatiorem*, quæ nuper prodiit, gratulor *Eccleſiæ*, gratulor *Academiæ*, gratulor *Veritatis amantibus*, quod in *Conſenſionem* vergere incipiant ſententiæ, quæ toto cœlo diviſæ videbantur: quodque jam brevi temporis ſpatio dirimi ac decerni queant contentiones, quæ longam & peracrem minabantur colliſionem. *Lætior occaſio hujus ſcriptionis.*

II. Scilicet *Diſſertatio de Lingua Primæva*, duas *Syſtemati* noſtro graviſſimas injecerat plagas. *Biga Paradoxorum Cl. Diſſertatoris.*

א. Prima erat: quod *Dubitare* ſe profiteretur Cl. *Theologus*, *an* LINGUA HEBRÆA *unquam vel ipſis Hebræis* VERNACULA *fuiſſet:* addens, *eſſe hanc* QUÆSTIONEM FACTI; *quæ adhuc* NUNQUAM PROBATA *ſit: ac quoque* NUNQUAM PROBARI *poſſit:* ut pag. 198.

198. 199. prioris Editionis conſignatum.

ב. Altera: LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM *eſſe* SINGULAREM *plane*; *& Divinæ cum* ORIGINIS *tum* AUCTORITATIS, *reſpectu tam* NOTIONIS *quam* STRUCTURÆ *in* OMNIBUS *&* SINGULIS VOCABULIS.

In quem ſenſum ea a pleriſque accepta. Biga hæcce *Theſium*, quarum altera alteram trahit, apud pleroſque eam excitaverat Opinionem, LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM a Cl. *Theologo* conſiderari ut *Divinam in ſe*, *a* LINGUISQUE *reliquis ſejunctam*, *ac diſcretam per* INTERIOREM *quandam* SANCTITATEM *atque* PERFECTIONEM.

Rationes quæ iſtum ſenſum ſuggerebant vel invitis. III. Rationes quæ iſtam ſententiam, quantumvis abſonam, Lectoribus vel invitis ingererent, non paucæ.

1. Cernebant Cl. *Theologum* univerſam *Diſſertationem* ſuam eo direxiſſe, ut *aliquid* SINGULARE, EXIMIUM, LINGUIS HUMANIS *negatum*, LINGUÆ HEBRÆÆ *circumdaret*.

2. Notabant talem paſſim LINGUÆ HEBRÆÆ, *qua* LINGUÆ, *urgeri* LUCEM, EVIDENTIAM, PERFECTIONEM; *quæ omnem omnino* DEFECTUM, *vel* EXTERIOREM, COGNITIONIS *noſtræ*, per ſe excluderet, ſibique ſoli citra ullam *Dialectorum* opem, ad omnem claritatem, interpreti neceſſariam, ſufficeret.

3. Hoc ſolo prætextu *Dialectos* a finibus *Biblicis* arceri ſimul intelligebant.

4. Sentiebant inſuper, ni hoc vellet Cl. *Diſſertator*, pulverem tantum cieri, ſponte evaniturum; quin tela in *Syſtema* noſtrum animoſius intortà, in torquentem recidere.

5. Niſi INTERIOREM quandam SANCTITATEM, & PERFECTIONEM DIVINAM LINGUÆ, *qua Linguæ*, intenderet Cel. *Theologus*, non inveniebant, quid tan-

Digitized by Google

tandem adferret majoris Sapientiæ; quum *Divinam Originem*, & *Auctoritatem Sacrarum Literarum*, omnes religioſiſſime agnoſcamus; neque de ea nunc demum per *Diſſertationem* tam ſollicite conſcriptam edoceri quiſquam neceſſe habeat.

6. Denique gravis illa *Dubitatio*, *adverſus* USUM VERNACULUM LINGUÆ HEBRÆÆ *inter Hebræos*, tam contra omnem rationem, quam contra ſuam ipſius veterem & conſtantem ſententiam, ſuſcepta a Cl. *Theologo*, omnibus *indubitatum* ferre videbatur *indicium*, LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM Ei ut DIVINAM plane *in ſe*, & *per ſe*, nunc obverſari: quod alias talis *addubitatio* nunquam exoriri potuiſſet, nedum ut in publicum exire ſuſtinuiſſet.

IV. Hos calculos circa mentem Cl. *Diſſertatoris* initos a *Lectoribus* tantum non omnibus, res eſt notiſſima; ac propterea nemo a me expectaverat *Reſponſionem* adeo *lenem*, *remiſſam*, *ſuſpenſam*, & ubi *fortiter feriendum* erat, *vel tangere* quodammodo metuentem. Varia hinc commota judicia; quæ diſcutere parum refert. Unum præterire nequeo. Viſus fui nonnullis *ludos facere* in re gravi, ac ſeria: quin callide *eludere pugnam*; qui tam fortiter, & conſtanter, negarem *me id credere*, vel *crediturum unquam*, quod toties inculcatum; quodque tam expreſſe, ac diſerte, enunciatum, ut ne *umbra* quidem *dubitationis* circa genuinam Cl. *Diſſertatoris* ſententiam relicta videretur.

Nemo a me reſponſionem tam mollem, ac ſuſpenſam, expectarat.

V. Qui ſic judicarunt, non ignorabant tamen, Doctos Viros, dum Diſputatio fervet, Adfectuſque ludum ſuum ludit, *Verbis* ſæpe ultra *veros ſenſus* evehi; & magnificis quibuſdam ſonis ſemet præſtringere.

Hujus lenioris conſilii Rationes quædam tanguntur.

Ita Cl. *Guſſetium*, ne a rebus noſtris abeam, in primo *Excurſu*, & alibi, vidimus *Linguam Hebræam* ap-

pellitare *Solem qui ſuiſmet Radiis refulgeat*, & *Magnum Luminare* &c.

Ad *Veritates Cæleſtes* in *Codice Hebræo* lucentes, ut *Theologus*, ſplendidas has imagines haud dubie mente ſua referebat. Præſtrictus interim tanto illo fulgore, ad *Linguam Hebræam* ipſam, qua *Linguam*, eaſdem illas *figuras* ſimul transtulit, atque complicitis duabus diverſiſſimis ideis, *Lucem* quandam *Divinam* ipſis *Literis*, *formis*, *Vocibuſque Hebraicis* inſeminare videtur; ut ſic *Opem Dialectorum* a pomœriis ſacris acrius prohibeat videlicet!

Infeliciſſimam enimvero, & a *Theologo*, ac *Philoſopho*, eodemque *Philologo*, haud expectandam confuſionem!

Eam ut jure meo, integra & illibata Viri reverentia, nudavi, argui, revici: ita ſummæ memet injuſtitiæ, & immoderatæ cupiditatis in diſputando, alligaſſem, ſi illuc Eum progreſſum vel ſuſpicatus fuiſſem, quo nullus unquam *Enthuſiaſmus* ſeſe provexit; ſi a *Kabbaliſtarum* inſaniis, & inaniis, diſceſſeris.

Et ſpecialius exponuntur.

VI. Qui ergo Cl. *Guſſetium nunquam credidi* id vere *voluiſſe*, quod *verba primo adſpectu præ ſe ferunt*; non potui, non debui, ſanctioribus vinculis mihi conjuncto Viro Honoratiſſimo, longius licet evecto quam *Guſſetius*, æquanimitatem hanc denegare: ac proinde & in *Præfatione Excurſus Primi*, & in *Curſu* ipſius *Opuſculi*, omnibus modis id inſinuandum, atque diſertiſſime declarandum duxi: ne *turbidus Adfectus* magis, quam *placidus candiduſque Amor Veritatis* Scriptioni meæ præſediſſe deprehenderetur. Ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, χρηστεύεται. Ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ. Ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται. &c. 1 *Cor.* XIII: 4. &c. &c.

Honeſtas,

VII. Non extra oleas ibo, ſi animi mei ſententiam circa genus hoc concertationum, in quod devocor, pau-

Caritas, Æquitas, Prudentia, hanc diſputandi viam præſcribebant.

paulo clarius exponam. Exiſtimo nempe, nil alienius eſſe a perſona Viri Cordati, & honeſti, quam ut *Adverſarium* ad *verba* minus meditate, & prudenter, concepta aggrediatur: Eumve in publico obruat. Quid *verba* dico. Ne *ſenſus* quidem *ſubitarii*; atqûe in æſtu conflictus oborti, continuo ſunt vexandi: atque *infinita* illa *abſurditate*, quam trahunt, publice confundendi. Qui hoc committunt, peccant in Caritatem; peccant in Æquitatem; peccant in Prudentiam. Sententiæ tales ex ἀμετρίᾳ τȣ̃ ἀνθολκῆς enatæ, ut *Radicem* non habent, ita ſponte tandem areſcunt, ſi non ultra modum exagitentur: aut idoneum concedatur tempus, & ſpatium, ad id quod animoſius aſſumtum, ſedate examinandum, ac perpendendum.

Par non eſt, ad primam Scriptionem aliquem obruere, ac confundere.

VIII. Qui Originem, & progreſſum, præſentis *Controverſiæ* ad lineolas, in *Excurſu primo* ductas, inſpicere dignabuntur, facile animadvertent, quorſum hæc collineent. Etiamſi proinde Cl. *Diſſertator* media in concertatione, *humani* quid in hacce *Theſi* urgenda paſſus eſſet forte; meum propterea non erat, ab *humanitate* diſcedere; atque tanquam verum ac genuinum Viri ſenſum ſexcentis onerare repugnantiis, atque operoſius confutatum dare; quod omni *Rationi*, *Literaturæ*, *Philoſophiæ*, ac *Theologiæ* e diametro adverſari, vel imperiti rerum noſtrarum ultro perſentiſcunt.

Jucundus conſilii hujus fructus.

IX. Habeo quoque, ut ad rem propius accedam, fructum conſilii moderatioris: & finem, quem mihi propoſueram, feliciter ſum aſſecutus. Fluctus, qui in *Academia* noſtra conſurgere videbantur, ſidunt, & ſponte ſemet componunt. In portu navigo. Tota noſtra contentio ferme ſopita. Explicuit ſemet Cl. *Diſſertator*, in notulis quibuſdam *Alteri Editioni* ſubnexis: atque ita explicuit; ut

ſi omnes *Lectores* ſimul *boni judices* ſedere poſſent, Calamum mihi deponere liceret.

Elucidatio honeſte petita

X. Humaniſſime videlicet rogatum volui Cl. *Diſſertatorem*, ſub finem *primi Excurſus*, ut *planius pleniuſque mentem ſuam circa geminam Theſin*, quæ proram conſtituunt & puppim *diſſertationis de Ling. primæva*, dignaretur *exponere:* quod his *duabus Theſibus diſcuſſis, ad liquidamque perductis rationem*; *reliqua ſponte eſſent defluxura; & clariori Evictioni conceſſura.*

Ad duas Theſes Capitales *in* Differt. *de* Ling. Prim.

XI. Hæ duæ *Theſes* ſunt:

I. An vere, & ex animo, ſtatueret Cl. *Theologus*, LINGUAM HEBRÆAM *in ſe eſſe divinam, & aliis Linguis ſanctiorem, interna quadam luce & ſanctimonia.*

II. An vere, & ex animo *item* ſibi perſuaſiſſet *Hebræam Linguam Hebræis nunquam Vernaculam fuiſſe.* Circa *utramque* data elucidatio. *Altera* diſerta, rotunda, cumulata. *Altera* minus plena, ſuſpenſa, hæſitabunda adhuc: quæ tamen hæſitatio adeo cauſæ meæ non officiat; ut contra eam conſtabiliat quam firmiſſime, atque ſupra omnem dubitationis aleam eandem locet.

Cumulatiſſima ſatisfactio data ad Primam & Capitaliſſimam Theſin. ℵ *Negative.*

XII. Quod ad *primam* attinet; quam *diſertam, rotundam*, omni ex parte *cumulatiſſimam*, gratus agnoſco, recipio, amplector, eam exhibet *Editio Altera, pag.* 236. 237. in notula ſubſerta ad phraſin, *ſingulariſſima Lingua* &c. Ubi ita Cl. *Theologus* mentem ſuam declarat. „ „ *Dixi me hanc Linguam ob graviſſimas rationes Linguam* „ *Hebræo-Biblicam vocare: ut eam ſcilicet diſtinguerem a* „ *recentiore Syra Lingua, quæ eſt Veteris Aramææ Linguæ* „ *Dialectus: & in Libris N. T. dicitur Lingua Hebræa:* „ (*confer pag.* 184.) *ut & a Lingua Hebræo-Rabbinica;* „ *ac Hebræo-Thalmudica, & Cabbaliſtica. Utpote quæ ab* „ *omni omnino Barbara pura a Deo conſervata eſt contagione.* „ *Vocaturque hæc ſingulariſſima Lingua, Lingua ſancta;*

„ NON

Digitized by Google

„ NON 1. *quod per ſe vel* NATURALI *ſua aliqua*
„ SANCTITATE SANCTIOR *ſit aliis Linguis; vel*
„ 2. *quod Rabbini (ut non nemo ſarcaſtice ſatis ludificatur,)* ב *Poſi-*
„ *eam* ſanctam *vocant*: SED 1. *quod* DEUS *ea videatur* *tive.*
„ *uſus in ſuis quibus patriarchas dignatus eſt, viſitationibus.*
„ 2. *Quod DEUS ſua Oracula per hanc ſingulariſſimam*
„ *a ſuis conſcribenda curaverit amanuenſibus.* 3. *Quod*
„ *DEUS ſua hæc Oracula ſingulariſſima hac Lingua in con-*
„ *textu Hebræo providentia ſua incorrupta adhuc dum con-*
„ *ſervat.* Sancta *eſt & vocatur* Lingua *hæc, propter ſan-*
„ *ctiſſimum hunc uſum; ut Tabernaculum & Templum cum*
„ *omnibus ſuis vaſis olim dicta fuerunt Sancta; non ob* IN-
„ TERIOREM *aliquam &* ESSENTIALEM *eorum*
„ SANCTITATEM; *ſed ob* SANCTUM *eorum* USUM.
„ *Hinc Paulus hæc ſcripta vocat* 2 *Tim.* III: 15. ἱερὰ
„ γράμματα.

XIII. Hac *declaratione* nil diſtinctius, præciſius, completius. Ne umbra quidem ambiguitatis relicta. *Nil completius hac Elucidatione a Cl. Theologo nobis exhibita.*

א. Primo *Negative* repellit, & faceſſere jubet Cl. *Diſſertator*, quicquid cæcus Zelus in Scholis *Judæorum* & *Chriſtianorum* turbavit circa *Linguæ Hebrææ*, qua *Linguæ*, *interiorem* quandam ac *naturalem ſanctitatem*, *dignitatem*, *perfectionem*, *lucem*, per quam *Linguas Humanas* tranſſcenderet veluti.

ב. Secundo *Poſitive* rationes, ob quas *Lingua Hebræo-Biblica* appellari poſſit *Sancta*, eas promit Vener. *Theologus*, quas ipſemet in complexu ſaltem ſtrinxi, atque inſinuavi: *Inſtitut. ad Fund. Ling. Hebr.* p. 6. ubi de *Titulo* לשון הקדש *Linguæ Sanctæ* hæc paucula poſui. „ Appellatio a *Judæis* inducta, ad *Gentis* & *Linguæ* ſimul decus „ Cœlo locandum. Patimur; ſi ſuperſtitio abſit; & *Titulo* illo nihil aliud inferatur, quam *ſanctiſſimos Hebræo-* *Eadem noſtra ſententia, & doctrina.*

„ *rum*

„ *rum Vates* ea uſos ad *Sanctam veritatis Doctrinam conſig-* „ *nandam.* „

Adjeci, ut qua in re *ſuperſtitioſum* illud, quod abeſſe volui, juvenes noſtri perciperent: „ *Eximiam* quandam „ *ſanctitatem* ipſi *Linguæ* quoad *materiam formamque* arro- „ gare, ſolis licet *Judæis*, qui ſe reliquis gentibus *ſanctio-* „ *res*, eadem inanitate, gloriantur.„

Depulſio criminatiunculæ minus juſtæ.

XIV. Non eſt quod verear unquam quemquam vel *Theologum*, vel *Philologum* cordatum, ex verbis iſtis aliquid offenſionis ſuſcepturum. *Judæorum* inanias, & *vanas gloriolas* denudare, non eſt *Doctores Chriſtianos* ludere. Omittere ergo potuiſſet Cl. *Diſſertator* inſertionem quæ *num.* 2. obliquo ictu me, ut creditur, appetit: „ *Non quod Rab-* „ *bini (ut non nemo ſarcaſtice ſatis ludificatur) eam ſanctam* „ *vocant.*„ Circumſpicio quaquaverſum: quæro ubinam reſideat *ſarcaſtica ludificatio* in Cl. Adverſarium: nuſpiam eam reperio. Certe ſic docui jam inde a quo *Linguam Hebræam* profiteor. Apparet quoque ſubmonitionem tam neceſſariam eſſe *Cl. Altingii Fundamenta Linguæ Sanctæ* tradenti in *Academiis*, quam neceſſarium, cavere ne recentes teſtæ aliquid odoris imbibant, quo ſincera veritas inficiatur, atque aceſcat.

Certamen omne circa Theſin Primariam *inter nos ſopitum.*

XV. Sed miſſa hæc facio: & *inſertiunculam* iſtam, ſi quidem me ferire conatur, condonare malo, quam refellere. Ad rem ipſam potius accedo; atque venerando *Theologo* viciſſim declaro, quando ineptias *Scholæ Rabbinicæ* circa *Titulum Linguæ Sanctæ* tam aperte repudiat nunc, nullum amplius, hac quidem in parte, inter nos remanere Certamen: ſolidumque me gaudere gaudium, quod moleſtiſſima, in tædiumque infinitum exitura, conflictatione ac confutatione, in totum jam ſim liberatus, atque exſolutus.

Lubenti interim, volentique, ſpero, fuerit Viro Clariſſi-

riſſimo, ab his jam partibus plane diremto, quin contra eas mecum nunc ſtanti, ſi *procedente* hoc *excurſu* ſomnia *Rabbinorum*, & quorundam *Chriſtianorum*, circa *interiorem ſanctitatem Linguæ Hebrææ* in clariore ponam conſpectu, eoque ipſo confutem, atque configam.

XVI. Conſimilem mihi lætitiæ materiam præbet, quod Venerandus *Theologus* tam cogitate, curateque, mentem explanaverit *num.* I. „NON *quod* PER SE, *vel* NATURALI *ſua aliqua* SANCTITATE SANCTIOR „*ſit aliis Linguis.*" *In quo Cardo quæſtionis noſtræ ſitus fuerit.*

Nempe hæc *Arx* erat noſtræ diſſenſionis; *eſſetne in Lingua Hebræa, qua Lingua, aliquid* SANCTUM, & DIVINUM, *a* NATURA *ipſa inſeminatum, eique propterea* NATURALE?

Illuc univerſam *Diſſertationem de Ling. Primæva* tendere, ſibi perſuaſerant Lectores docti juxta, indoctique. Ego *pag.* 69. & alibi *Primi Excurſus* ſolemniter teſtatus ſum, *me nunquam crediturum*, hoc *Venerandum Theologum* vere intendiſſe: *quamvis verba primo id adſpectu præ ſe ferrent:* ac propterea *imprudens* fore, quin *temerarium*, *vel amiciſſimæ diſputationis aciem adverſus talem Theſin inſtruere.*

Habeo cum jucunda conſcientia gratiſſimum rei exitum. Expreſſiſſime nunc mecum negat Cl. *Diſſertator* ſe id voluiſſe: omnemque anſam dubitationis, quæ alicui forte hærere potuiſſet, penitus amputat. Apparet inſuper, *Theologum* noſtrum longiſſime remotum eſſe a *Syſtemate Hieroglyphico*, aliiſque *Metaphyſicis ſublimitatibus*, quæ in *interiore* & *naturali* quadam *ſanctitate*, *perfectione*, *claritate*, ac *Luce*, præſidium ſibi quærere ſolent: ac proinde feliciſſima nos jungere incipit conſenſio; tam magis coalitura, quam magis veris *Literaturæ Sacræ* principiis uterque innitemur.

XVII. Quod porro ad tres illas *Rationes Poſitivas* attinet,

L

net, in quibus Cl. *Diſſertator* Titulum *Linguæ Sanctæ* fundat: in iis nihil video novi, aut quod a communi ſententia abeat; niſi forte aliquid ſubſit, quod de induſtria velatur.

Sententias noſtras jam concordare in prima Theſi.

1. Certe *Sanctam* paſſim appellamus omnes *Linguam Hebræam*, quatenus *ipſe Deus ea uſus*, *quum Patriarchas alloqui dignatus eſt*. Eam tamen fuiſſe *Humanam Linguam* nemo ambigere queat, niſi qui quid dicat, penſi non faciat.

2. *Sanctam* quoque eandem ſalutamus, quatenus *Moſis* & *Prophetarum Oracula* continet: quæ nobis æque ac Cl. *Diſſertatori* in pretio ſunt, & *Sacro-ſancta* habentur. Eam tamen *Humanam* fuiſſe *Linguam*; quin *Hebræis Vernaculam*; tam parum *dubitare* fas eſt, quam ipſam *Revelationem in dubium vocare*. Sed hoc necdum agimus. In præſenti tantum excutimus *declarationem* a Cl. *Diſſert.* datam. In ea maluit Ipſe *num.* 2. " *Quod Deus ſua Oracula per hanc* SINGULARISSIMAM *a ſuis conſcribenda curaverit Amanuenſibus*". Illud *Singulariſſima* ſimiliter *textum utriuſque Editionis* occupat. Id oculos minus firmos, aut peritos, præſtringit. Diſcutiamus rem ipſam. Hocce verbum *Singulariſſima*, vel *Divinam* dicit *Linguam*, vel *Humanam*.

Si *Divinam* intelligat Cel. *Theologus*, relabetur ad aliquid quod *Rationi* & *Revelationi* adverſum: quodque in eadem hac nota diſertiſſime a ſe removit.

Si *Humanam*, repugnantia item loquetur palam, niſi eandem *in terris uſurpatam*, & *Vernaculam* fuiſſe *Populo Hebraico* concedat. Sed hæc latius ſuo loco.

3. Ut *Sanctam* quoque veneramur *eam Linguæ Hebrææ partem*, quæ *Sacra Oracula* nobis conſervat, quatenus proviſum, procuratumque, per ſingularem Numinis providentiam, ut *integra*, plane *integra*, ea ad manus noſtras pervenerint; ſine CORRUPTIONE, ac DEFECTU.

Ec-

Digitized by Google

Ecquid ſatis concinimus, atque concordamus? Cl. *Diſſertator* certe nil fortius vel dixit, vel dixerit, quam Ego *Auditoribus* meis inculcare ſoleo. Ejus verba ſic ſonant *num.* 3. *Quod Deus ſua hæc Oracula* SINGULARISSIMA *hac* LINGUA *in contextu Hebræo-Biblico Providentia ſua incorrupta adhuc dum conſervat.* Tolle captioſum SINGULARISSIMA *hac* LINGUA: *num.* 2. refutatum: & nil reſtare ſenties, quod non vel *Catechiſmus* ſuus quemque doceat, ubi de *Verbi Divini*, *in fonte Hebræo conſervati*, *veritate*, *integritate*, & *Auctoritate*, Chriſtianæ notiones inchoantur.

XVIII. Cumulum omnibus hiſce imponit, & *concordiam* noſtram complet clauſula, *tribus rationibus* prægreſſis a Cl. *Diſſertatore* ſubnexa. „ SANCTA *eſt & vocatur hæc* LINGUA, *ut* TABERNACULUM & TEMPLUM *cum omnibus ſuis vaſis olim dicta fuere* SANCTA: *non ob* INTERIOREM *aliquam &* ESSENTIALEM *eorum* SANCTITATEM, *ſed ob* SANCTUM *eorum* USUM. *Hinc Paulus hæc ſcripta vocat* ἱερὰ γράμματα. *Planior adhuc Concordiæ illius demonſtratio.*

Non potuiſſet ſeſe Vener. *Theologus* planius pleniuſque ſuſpicionibus, quas de ſe in Publico concitavit, abſolvere. Non potuiſſet etiam firmius religioſiuſque *conſenſionem* noſtram *internam*, in *externa ſpecie diſſenſionis*, ſancire. Ne verbulum quidem in his minuerim, mutatumve velim. Qui ita ſcribit, *Fanatiſmum* omnem circa *Linguam Hebræam*; omneſque adeo *inanes imaginationes*, ex *Rabbinica Schola* hauſtas, de neſcio qua *Sanctitate interiore*, & *eſſentiali* ejuſdem, mecum proſcribit.

XIX. Sed jam reverenter rogare liceat Cl. *Diſſertatorem*, an non & *Græca Novi Teſtamenti Lingua* eodem jure *Sancta* appellari poſſit, ac debeat, quo *Hebræa Veteris*: ſimiliterque τὰ ἱερὰ γράμματα contineat? Haud dubie. An ergo & *Græca Lingua* propterea *ſingulariſſima*? *Lingua Græca eodem jure ſancta.*

An *Divinæ* item *Originis*, & *Auctoritatis*; qua *Linguâ* videlicet? An etiam forte *non vernacula unquam*, *in terriſve uſurpata?* An? &c. Sed ſuſtineo me: atque has, aliaſque, *Quæſtiones* alium in locum potius rejiciam, atque reſervabo. In præſenti ſatis habeo, liquido demonſtraſſe, atque eviciſſe, Cl. meum *Adverſarium* qui in *Sanctitate Linguæ Græcæ N. T.* non alios, credo, fovet conceptus, ſenſuſque, quam quos vera Eruditio & ſanior *Critica* permittunt, conſimiliter circa *Sanctitatem Linguæ Hebrææ V. T.* neutiquam id ſenſiſſe, quod plerique ſibi perſuaſerant, ſed ſub externo, & apparente diſſenſu, intime tamen mecum conſenſiſſe atque conſpiraſſe.

Mirum in Orbe Erudito Phænomenon.

XX. Hoc quum meridie clarius nunc reluceat, vereor ne vices ſubito commutentur; neve oculis ſuis jam diffidere incipiant, qui *Alteram Editionem Diſſertationis de Ling. Primæva*, cum aliqua cura, & attentione, examinabunt.

Deprendent nihil omnino in ea remiſſum a priore vehementia, qua *Syſtema* noſtrum impetitum, atque oppugnatum fuit. Deprendent contra, animos acceſſiſſe Cl. *Theologo*, quaſi in *Primo* meo *Excurſu* nihil actum eſſet: & quaſi non nervus toti iſti *Diſſertationi* ita inciſus foret, ut ne quidem ſuſtinere ſeſe amplius valeat apud omnes, qui aliquo pollent judicio, & momenta rerum potius, quam verborum, ponderare ſolent.

Emirabuntur ergo, qui fieri potuerit, ut quum univerſa *Diſſertatio* iſta inniti videretur in *Paradoxa* illa *Theſi*, LINGUAM HEBRÆAM, *qua Linguam*, TOTAM DIVINAM *fuiſſe*; *interioreque* quadam *Sanctitate*; & *Luce*, *humanos fines*, *uſuſque*, *excedente*; *præditam*; jam *Theſis* illa, *Baſiſque*, in medio curſu diſputandi deſeratur; non mutata interim, ne mitigata quidem, *Diſſertatione* ipſa;

Digitized by Google

ipſa; ſed animoſius adhuc in *ſyſtema* noſtrum conſurgente.

XXI. Merito nunc profecto, quicumque *Diſſertationem de Ling. primæva* legerunt, perlecta hacce Nota,

1. Quærent, & rogabunt, Ubi ergo illud *ſingulariſſimum*, illud DIVINUM plane, *Linguiſque humanis negatum*, quod contra *Dialectorum Defenſores* tam graviter urgebat Cl. *Diſſertator*?

Omnis nervus Diſſertationi *de* Ling. Primæva *per* Cl. Auctorem *inciſus.*

2. Quærent, Ubi *Linguæ Hebrææ*, qua *Linguæ*, illa *Lux*, *Evidentia*, *Perfectio*, *quæ* PER SE *omnem omnino* OBSCURITATEM, & DEFECTUM *vel* EXTERIOREM *noſtræ in ea Cognitionis*, *excludat*; ſibique ſoli ad omnem *claritatem*, & *intelligentiam*, ſufficiat?

3. Quærent, Quo jam non jure, ſed vel tenuiſſimo prætextu, *Dialectorum* ſemper Veneranda apud omnes Eruditos *Auctoritas* ſpernatur, & a Sacris pomœriis, tanquam aliquid *Profanum*, abſiſtere jubeatur?

4. Quærent, Quorſum nunc reciderint omnia illa Tela tam animoſe in *Schultenſium* & ejus Anteceſſores *Erpenios*, *Bochartos*, *Hottingeros*, *Golios*, *Pocockios*, *Dieüos* conjecta, quaſi *Divinam Perfectionem*, *Dignitatem*, & *Majeſtatem Linguæ Hebrææ* minuiſſent; contendendo multam iſti *Linguæ* lucem ex *Dialectis* ſororiis poſſe infundi?

5. Quærent: Si *externam* tantum *Sanctitatem Linguæ Hebræo-Biblicæ* vindicare voluerit Vener. *Theologus*, quid tam laborioſa, & circumducta, ſe fatigaverit Scriptione, in qua nihil tandem, hac quidem in parte, proferatur, quod non communi omnium calculo ſanciatur?

6. Quærent poſtremo: quid coloris habeat jam amplius *Vehemens* illa *Dubitatio*, qua *Linguæ Hebrææ* Capitaliſſima Lis mota, quaſi *nunquam* adhuc *probatum eſſet*, atque etiam *nunquam probari* poſſet, eam *Hebræis*, ullique adeo Genti, fuiſſe *Vernaculam?*

XXII. Quas cogitationes cuncta hæcce mihi, cum

Digitized by Google

adoratione viarum Dei, commoverint, alias commodius expromam. Nunc pergendum potius ad *poſtremæ* illius *Theſeos*, de LINGUA HEBRÆA *nunquam* VERNACULA *forte* HEBRÆIS, eam *defenſationem*, *quam* dubito an Cl. *Theologus* ſibimet approbare potuerit, nedum ut ſe Erudito Orbi eam probaturum eſſe, ſperare queat.

Acceditur ad alteram Theſin.

Extat ea *Editionis ſecundæ pag.* 210. 211. in *Nota paragrapho* V. ſubjecta.

Ille *paragraphus*, reſpondens *paragrapho* II. *primæ Editionis*, *pag.* 198. non loco ſolum motus, ſed & emendatus ſic ſatis ſubtiliter; ſubtilitate tamen in Cl. Auctorem recidente, & deploratam plane Cauſam arguente: quæ quam magis ſe ſuſtinere conetur, tam magis ſemet conficiat, atque configat.

Inſignis mutatio quam Editio Altera *offert.*

XXIII. Sed loquatur ipſe *paragraphus*, prout eum refingere placuit Cl. *Theologo*, *pag.* 210. 211. *Edit. ſec.*
„ Aſt quæritur annon *Lingua Hebræa* qua ſancti Dei viri,
„ in conſignandis Oraculis Divinis, Sp. S. inſtinctu uſi
„ ſunt, *aliqua in Gente* fuerit *vernacula*, id eſt, *quotidiani*
„ *in mutuis commerciis uſus.* Atque num ex *Veteri Hebræa*
„ *Lingua* nihil, quam quod *in ſacris invenimus Bibliis* am-
„ plius ſuperſit? Ad quam duplicem interrogationem reſpon-
„ deo, quod etiam ego, ita edoctus a præceptoribus meis,
„ nimis diu in ajente fuerim ſententia: quare ante XXX.
„ & amplius annos non dubitavi in *Commentario meo Belgico*,
„ *de Veris Dei viis*, *Lib.* IV. *Cap.* VII. p. 721. 722. eam
„ *Iſraëlitarum Vernaculam* vocare linguam. Sed perpetuum
„ meum, ac nunquam intermiſſum (valuit enim apud me,
„ a prima juventute ad hanc ætatem uſque, *Appelleium* il-
„ lud: *Nulla dies ſine linea*) linguæ Hebræo-Biblicæ ſtu-
„ dium me tandem docuit, *hoc Grammaticorum aſſertum*,
„ quod *Lingua Hebraica* olim alicujus gentis, *Iſraëliticæ*
„ ſaltem, fuerit *Vernacula*; atque apud eam frequentiſſimi
„ *in quotidiano commercio* fuerit uſus, inter illa eſſe, quæ
„ ad-

Digitized by Google

„ adhuc nunquam probata ſunt, ac quoque *nunc* neuti-
„ quam probari poſſunt. "

XXIV. Notandæ *inſertiones*, *mutationes ve*, quibus Contextus hicce a *priore Editione par.* II. p. 189. diſcrepat.

1. Levicula eſt, quæ *gloſſulæ* loco, poſt vocem *Vernacula*, ſubdit, *id eſt quotidiani in mutuis commerciis uſus.* Pauci, quid ſubſit, intelligent. Non tamen de nihilo eſſe, deinceps percipietur. *Differentia prima.*

2. Altera inſertio, *Ad quam duplicem interrogationem reſpondeo.* *ſecunda*

Ea mederi conatur hiatui præcedentis *Editionis.* Sed vitium adeo non ſanatum, ut palpabilius ſit factum. Id in *Examine* totius *Diſſertationis* oſtendetur.

3. Quum in priori *Editione* extet: "*Fui etiam ego, ita edoctus a præceptoribus meis, nimis diu in illa ſententia:* nunc ita editum: *Ad quam duplicem interrogationem reſpondeo, quod etiam ego, ita edoctus a præceptoribus meis, nimis diu in ajente fuerim ſententia.*" *Tertia*

Exiſtimas forte, parum, aut nihil, differre: ſed ex diſcuſſione *Notæ* ſubjectæ mox liquebit, a ſapiente nil fruſtra fieri.

4. Quarta mutatio *Capitalis.* Nempe *Editio prima* ſub finem *paragr.* exhibet; *Linguam Hebraicam olim alicujus gentis, Iſraëliticæ ſaltem, fuiſſe Vernaculam, inter illa eſſe quæ adhuc nunquam probata ſunt, ac quoque* NUNQUAM *probari poſſunt.* *Quarta Capitalior.*

Hoc in *Editione ſecunda hanc* formam induit: *inter illa eſſe quæ adhuc nunquam probata ſunt, ac quoque* NUNC *neutiquam probari poſſunt.*

XXV. Diſcrimen in omnium oculos incurrit. Quantum ponderis, & momenti, id trahat in *Quæſtione* noſtra, prudentiores fugere nequit. Paucula pro minus peritis attingam tantum. *Quantum momenti faciat.*

1. Qui-

Digitized by Google

Primum momentum. 1. Qui pronunciat *aliquid* eſſe *inter ea*, *quæ adhuc* NUNQUAM PROBATA *ſunt*, ac *quoque* NUNQUAM PROBARI *poſſunt*; in *orbe Erudito* judicatur *Negare* magis, quam *dubitare*, etiam ſi *dubitationis* voce utatur ad indignitatem rei mitigandam.

Secundum momentum. 2. Qui *aliquid* NUNQUAM *adhuc* PROBATUM eſſe, ac *quoque* NUNQUAM PROBARI POSSE contendit, manifeſtum ſaltem inducit ea in re *Scepticiſmum*, nulla unquam *Luce veritatis*, ac *demonſtrationis finiendum*.

Tertium. 3. Qui *aliquid* NUNQUAM *adhuc* PROBATUM *eſſe*, *ac quoque* NUNQUAM PROBARI POSSE aſſeverat, vel in *quæſtionibus problematicis*, intelligitur modum ac modeſtiam haud ſervare; ſed ſibi arrogare judicium in omnes quotquot *fuerunt* non ſolum, ſed & *ſunt* aut *erunt*.

Quartum. 4. Conduplicatur *Inmodeſtia*, nemini minus conveniens, quam ſapienti, ſi non *Problema* agatur; non *Quæſtio*, ſed *veritas manifeſta*, de qua nec in *Eccleſia*, nec in *Orbe Erudito*, unquam dubitatum.

Quintum. 5. Si jam cum omnibus hiſce talis agatur *veritas*, quæ *Revelationem* & *Religionem* univerſam ſuſtinet, & qua vacillante, cuncta vacillarent; vel cæcis appareat neceſſe eſt, cum immodeſtia incredibilem imprudentiam aſſevetione iſta includi: *numquam nec probatum*, *nec probandum*, LINGUAM HEBRÆAM ISRAELITIS VERNACULAM FUISSE.

Quid Ego in Excurſ. Primo *ad* Prim. Edit. *inſinuarim.* XXVI. Ad *Veritatis*, & *Juſtitiæ* rationes pertinet, ut teneatur quid modeſtiſſime, quin remiſſe quodammodo, atque adeo ſummiſſe, hac de re inſinuarim *pag.* 21. *Excurſus primi.* Enarro ibi *Ortum* ſubitæ, & inſubidæ ſane *Quæſtionis*, quam in *Academia Batava* ſuſcitatam, apud poſteros fidem vix inveniet. Verba mea hæc ſunt. "*Hanc ſenten-* „*tiam* (de *Lingua Hebræa Hebræis vernacula*) *quam una* „*omnium vox*, *una mens*, *firmat*, *quum Vir Clariſſ.* NEC „PROBA-

„PROBATAM *adhuc*, *nec* UMQUAM PROBAN-
„DAM: *Iterum non* meam rem *agi apparet*, *ſed* publicam,
„*quando omnes unum in circum concluduntur*, *qui hac de re*
„*vel judicarunt olim*, *vel nunc judicant*, *vel in poſterum ſunt*
„*judicaturi. Ego quidem*, *niſi hoc probare poſſem*, *non exiſti-*
„*marem me ullum habere* Fundamentum, *ſuper quo* Reve-
„lationem, Iſraelitis *per* Moſem & Prophetas factam, *poſ-*
„*ſem conſtabilire.*

Senſit, credo, Cl. *Theologus*, ſe in iſto, *ac quoque* NUN-
QUAM PROBARI POSSE, non tenuiſſe moderatum
illud, quod vel prudentia hac in parte, nedum modeſtia,
poſtulabat.

Hoc autem dedit inſigni Mutationi *in* Edit Alt.

Excudi ergo curavit in *Editione Altera*, ut ſupra poſi-
tum: " quæ adhuc nunquam probata ſunt, ac quoque *nunc*
„ neutiquam probari poſſunt.

Enim vero laudabile eſt ſemet reprehendere; & ſive
per ſe, ſive ad monitionem *Antagoniſtæ*, aliquid in *ſcriptis*
ſuis emendare: ſed an id in medio congreſſu laudem ferre
queat, abſque ut Lector vel in *Præfatione*, vel in *Nota*,
ejus Rei *nominatim* certior reddatur; magnopere dubito.

Quod ſi contra ex hoc ipſo contextu, ſic ad monitio-
nem honeſtam, ac modeſtam, *Antagoniſtæ* ſeſe defenſantis
emendato, Eidem Nova *Actio* intentetur, rem illaudabi-
lem committi, nemo non confitebitur.

Ex qua Mutatione *nova in me ſuſcepta Criminatio non valde generoſa.*

XXVII. En *Actionem* mihi denuo injectam; qua Prio-
ris Editionis injurias largiter in me congeſtas, redimet
ſcilicet Humaniſſimus Diſſertator. Continetur in *Nota* in-
ſigni ad *pag*. 210, 211. ubi ſic perſtringor. " Eſt qui aliis
„ perſuadere conatur, quod priori meæ ſententiæ contra-
„ dicam, ac nunc plane negem, Linguam Hebræam
„ Iſraëlitis unquam vernaculam fuiſſe: ſed errat, ac ſuum
„ nimis more ſuo præcipitat judicium: dico tantum hoc aſ-
„ ſertum eſſe inter ea, quæ ob defectum idonei ex caſta

 „ anti-

Criminationis illius verba. „antiquitate Teſtimonii hiſtorici *adhuc* probata *non* ſunt, „atque probari *nunc non* poſſunt: quare ego hoc *nec* amplius *affirmo*; nec *nunc* nego: ſed *in medio relinquo*, ſuſpendo tantum de hoc aſſerto meum judicium. Non audeo enim in quæſtionibus facti, qualis hæc eſt, aliquid „affirmare vel negare antequam videam *Idonea Teſtimonia* „*hiſtorica*, repetita ex *caſta* & *neutiquam corrupta antiquitate*. Quæ & qualia hic proferri ex antiquis poſſe monumentis, non exiſtimo. Non eſt *Dubitantis*; ſed tantum Affirmantis probare. Affirmanti enim tantum incumbit probatio.

Incredibiis ejus complicatio per par- oſtenditur. XXVIII. Nunquam forte *Complicatius* quicquam viſum in *Orbe Erudito*. Sed *folia* ſunt *ficulnea*; quæ nudent, non tegant. Nempe Cl. *Diſſertator* confuſus, quod a ſemet ipſo deſciviſſe reperiatur, ſe ſibimet quodammodo occulere conatur.

XXIX. Sic ergo incipit, injuriam videlicet ſibi ab aliquo illatam depulſurus: *Eſt, qui aliis perſuadere conatur, quod priori meæ ſententiæ contradicam*. Quis ille quæſo? An quiſquam

Prima complicatio. præter me Cl. *Diſſertatoris* indignationem promeruit, quia ſe adverſus criminationes non amicas tandem utcumque ſuſtinuit defendere? Quum nemo interim dubitet, quin in me detorqueatur ictus, placidus rogabo, cur mihi id criminis impingat Vir Clariſſimus, quod certiſſime non commiſi, ſed quod ipſe adverſus ſemet manifeſto commiſiſſe deprenditur? An non diſerte in *Contextu* ut *primæ*, ita *ſecundæ Editionis*, inculcatum voluit Lectoribus ſuis, *ſe priorem ſententiam*, de *Lingua Hebræa Hebræis Vernacula*, deſeruiſſe?

Ea multimodis revincitur. An non culpa *prioris ſententiæ* rejicitur quodammodo in *præceptores*, a quibus male *edoctus fuerit?*

An non pœnitet quodammodo Cl. *Theologum*, quod tam diu in illa opinione, tanquam in luto, hæſerit: quum ait

NI-

Digitized by Google

NIMIS DIU *ſe in illa fuiſſe ſententia* : vel ut nunc maluit, *in ajente ſententia*.

An non inſinuat, ante XXX. & amplius annos, ſe non dubitaſſe in *Comm. Belg. de Veris Viis Dei*, eam *Iſraelitarum vernaculam* vocare *Linguam?*

An illa deſignatione temporis, ſic ſatis remoti, non tacite innuit Cl. *Theologus*, olim quaſi immaturitatem quandam fuiſſe judicii, quam maturior ætas in melius, ſolidiuſque, correxerit?

An illud *Apelleum*, *nulla dies ſine linea*; *atque perpetuum illud*, *ac nunquam intermiſſum ſtudium Linguæ Hebræo-Biblicæ*, quod *Virum Theologum tandem*, *tandem*, *hac in parte*, *meliora docuit*, non infert *prioris ſententiæ immutationem*, & quidem talem, qualis eſt *Lucem* tandem poſt *Tenebras* videntis?

Quum cuncta hæcce *deſertæ prioris ſententiæ indicia* de ſemet ipſe Cl. *Diſſertator* promat, atque omnibus modis inculcatum velit, non *temere id*, ſed graviſſimis de cauſis à ſe factum; jam exputare nullus poſſum, qua tandem ſpecie cenſura hæcce in me nunc deſtringatur: qui potius conſcius mihi ſim, me Cl. *Theologum* hac in parte adverſus ſemet ipſum ſuſtinuiſſe : ac diſertim negaſſe, *me unquam crediturum eſſe quod qui ante* VIII. *annos eandem adhuc tenuerit ſententiam*, indeque *Veritatem Revelationis* adſtruxerit, *in tertia Editione Comm. Belg. de Veris Vii Dei. p.* 721. &c. nunc *ſibimet diſſimilis*, *& adverſus factus ſit*. An hoc eſt, *cerſuadere velle aliis*, *priori ſententiæ ſuæ contradicere* Cl. *Theologum*, an ne *ab ipſo* quidem *perſuaderi* ſe ſinere; atque honeſte Ei ante oculos proponere, immoti juris eſſe *Veritatem*, quæ ne ſolicitari quidem poſſit, nedum in contrarium converti.

XXX. Quia magnopere addubitare queo, num attenderit ſatis Cl. *Diſſertator* ad ea quæ *pag.* 69. *primi Excurſus* *Gravior ejuſdem actionis ex revictio*

 ex

extant: fieri ſaltem nequeat, ut ea præſentia habuerit, quum hanc in me *notulam* deproperavit, eadem denuo hic repræſentare liceat. Verba ſic habent.

„Hæc quum princeps *Theologus* crediderit, tenuerit, „ſanxerit, ſigillo Auctoritatis ſuæ in *Academia*, & *Eccle-*„*ſia*, obſignarit A. 1730. NECDUM IMPETRARE „A ME POSSUM, *ut ſibi ipſi diſſimilem*, & *adverſum* „*factum exiſtimem* Virum Honoratiſſ. cujus in *Academiam* „& *Eccleſiam* tanta tamque præclara merita. Reperio qui-„dem in *diſſert. de Ling. Prim.* p. 19. declarationem, quæ „*Sententiam* à Viro Clariſ. vere *immutatam*, inſinuet: ſed „quum ibi Theſis hæcce LINGUAM HEBRÆAM „HEBRÆIS VERNACULAM *fuiſſe*, tractetur tan-„quam GRAMMATICORUM ASSERTUM, unde „nullo periculo deſciſci, & abiri, queat: pro CANDI-„DISSIMO PRINCIPIO diſputandi, quo me animari ſen-„tio, viciſſim declaro, PERSUASISSIMUM ME ES-„SE, & MANERE, Cel. DISSERTATOREM vel „aliud intendere, quam mihi hactenus penetrare datum; „vel *Naturam*, & *Conſequentiam*, hujus *Theſeos* non ſatis „attendiſſe, quum *Guſſetianimi* defendendi ſtudium, occa-„ſione *Rheoricationum Guſſetianarum*, hanc cogitationem & „ſententiam menti offerebat.

Reliqua ad finem uſque eodem filo decurrunt. Quid ergo ſibi vult accuſatio hæc? Aut quo tandem colore, ac prætextu, hæcce nunc nova, inexpectata, incredibilis plane, dica mihi ſcribitur?

Nil invenio: niſi quod à ſemet ipſo velut aufugiens Cl. *Diſſertator*, pulveris aliquid ciendum ſibi duxerit, quo ſe ſibimet occulere, oculiſque aliorum ſimul eripere valeret.

Complicatio ſecunda nova. XXXI. Nempe, niſi me omnia fallunt, ambigui quid captatum in verbo *contradicere*, & inſinuare videtur Cl. *Theologus*, ſe *priori Sententiæ non contradicere*, ſed quod quum

antea

antea non dubitaverit; nunc ſolummodo *dubitare occæperit*, non autem *contradicere*, ac *plane nega e.* *luſus: Actionis.*

Hanc argutiolam intendi, innuere videtur connexio iſta: „ *Eſt qui aliis perſuadere conatur, quod priori meæ ſententiæ* „ *contradicam, ac nunc plane negem Linguam Hebræam un-* „ *quam Iſraelitis vernaculam fuiſſe.*

O aridum foliolum! quod vel tenuiſſima difflet aura. Sed tamen, ubi tandem id à me factum? Quibus Verbis? Quibus Artibus id *perſuadere* conatus ſum? Qui præter ea, quæ ſuperius in contrarium adducta *pag* 69. *Excurſ. primi*, publice teſtificatus ſum: *Me nunquam crediturum hoc velle ſumme Vener. Theologum, quod verba primo adſpectu præ ſe ferrent; ac proinde imprudens, quin temerarium fore, vel amiciſſimæ diſputationis aciem inſtruere adverſus id, quod vel ex parte tantum percipio, vel in totum forte non aſſequor.*

Eundem ſincerum candorem obſervo in *præfat pag. penult* ubi de priore *Theſi*, LINGUAM HEBRÆAM IN SE ESSE DIVINAM, conteſtatus, *me nec credere adhuc, nec unquam crediturum, iſtam ſententiam à Graviſſ. Theologo adſcitam*, &c. ſic pergo: *Idem profiteor, ac conteſtor, de altera illa Nova plane, atque hactenus inaudita ſententia, qua Vener. Theologus inſinuat, nec probatum a huc, nec unquam probandum*, LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS *unquam* VERNACULAM *fuiſſe.*

Addenda & ultima periodus *præfationis*, quæ forte oculum læſit; quem mitigare & placare debuiſſet. *Ego vero conſenſionem & Amiciſſimam concentionem præ foribus eſſe augurор, nam profecto ſumme Ven. Theologus nec meos ſenſus recte hactenus intellexit; & ego vereor ne illius ſenſus necdum plane & plene ſim aſſecutus in Gemina hacce Theſi* LINGUAM HEBRÆAM TOTAM ESSE DIVINAM: &; EAM HEBRÆIS NON FUISSE VERNACULAM. *Omnino fieri nequit, ut non aliquid complicati his verbis ſubſit, quod*

Digitized by Google

explicitum, atque enucleatum, omnem diſſenſionem ſpero dirimet, atque jucundiſſimam nobis ſententiarum conjunctionem ac conſpirationem procurabit.

Conferantur item quæ *pag.* 17. *Excurſus primi* excerpta ex *opere Belgico*, cum *Epicriſi* mea p. 20. 21. & me potius intra modum ſtetiſſe, quam eundem exceſſiſſe, ipſa *Veritas* atteſtabitur.

Complicatio tertia arguitur. XXXII. Dignitati itaque ſuæ melius conſuluiſſet Cl. *Theologus*, ſi bonam gratiam reddere nolens, malam ſaltem non referret; ita in me pergens. *Sed errat, ac ſuum nimis more ſuo præcipitat judicium.* Perhumaniter enim vero! ac clementer. Gravius excipi meruiſſem: ſed de his, aliiſque floſculis, liberali manu mihi paſſim inſperſis, alias. Nunc videamus modò in quo *error* ille meus conſiſtat; & quid *præcipitati judicii* hac in cauſa tulerim iniquiſſime. *Dico tantum*, inquit Cl. *Theologus*, *hoc aſſertum eſſe inter ea, quæ ob defectum idonei ex caſta & non vitiata antiquitate teſtimonii hiſtorici* ADHUC PROBATA NON SUNT : *atque* PROBARI NUNC NON POSSUNT.

Prudenter non DIXI; in *præterito*, i. e. in *prima Editione*, ubi diſertim legitur, *hoc aſſertum Grammaticorum inter illa eſſe, quæ* ADHUC NUMQUAM PROBATA SUNT; *ac quoque* NUMQUAM PROBARI POSSUNT: ſed in *præſenti* tempore, DICO; prout in *altera Editione* nunc emendatum, *hoc aſſertum eſſe inter ea, quæ* ADHUC PROBATA NON SUNT, *atque* PROBARI NUNC NON POSSUNT. Id *erravi* ſcilicet? & in eo, more meo, *meum præcipitavi judicium*, quod non præviderim, olfecerimve, Cl. *Diſſertatorem* pro *numquam* in ipſo contextu, inſerturum eſſe *nunc neutiquam*, atque inde ita adverſus me in hac *altera Editione* inſurrecturum, ac ſi *hanc Lectionem* jam in *prima Editione vidiſſem.*

Compli- XXXIII. Hujus certe *Lectionis* novæ fiducia, ſic por-

ro in me inſtat Cl. *Theologus* " Quare ego hoc *nec* am- *catio*
„ plius *affirmo*, *nec* nunc *nego* : *ſed in medio relinquo*: ſuſpen- *quarta*
„ do tantum de hoc aſſerto meum judicium. Nihil hic *indicatur & refellitur.*
præcipitatum à *noſtro Theologo* : nihil non meditatiſſime
libratum ſimul, ſimul *ſuſpenſum*.

1. *Quare ego hoc* NEC AMPLIUS AFFIRMO. En *Prima obſervatio.*
rationem, cur in nova *Editione* dicat Vir Cl. ſe *nimis diu*
in AJENTE SENTENTIA *fuiſſe*. Nempe *temerarium*
Ei viſum *tandem*, ſententiam *ajentem* & *adfirmantem amplius ſuſtinere* auctoritate ſua; quamvis id ad annum *quintum* & *ſexageſimum* ætatis uſque feciſſet: indeque *Revelationis* certitudinem privatim, ac publice, conſtabiliviſſet.

Vide quid poſſit *Apelleum* illud, *Nulla dies ſine linea!*

2. Additur cogitatiſſime, " NEC NUNC NEGO. " *Secunda.*
Gaudeo: & jam deferbuiſſe utcumque vim *nimiæ dubitationis*, quæ a *negatione* parum aut nihil differre videbatur, ex animo lætor: quod qui palam profitetur SE NON NEGARE LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULAM *fuiſſe*, non perpetuum cum iſta ſententia Divortium feciſſe videatur, ſed tantum rupturam quandam leviorem, quam ipſemet Cl. *Theologus* gravitatis & conſtantiæ ſuæ judicabit, e medio ſuſtuliſſe, & quantocyus in *indubitatam* illam *ſententiam*, quam antea tenuit, quamque *Religio* & *Veritas* unice admittunt, revocaſſe.

3. Iſtam ſpem confirmat mihi, quod adjiciatur; " *Sed* *Tertia.*
„ *in medio relinquo* ". De lucro eſt. Licebit ergo nobis, ſalva *Viri Clariſſ.* conjunctione, in *ajente ſententia* perſtare hactenus; quia *Luci* ipſi *rebellarem*, niſi id, quod *ſole clarius* ſeſe mihi inſinuat, pro *indubitato* amplecterer ipſe, aliiſque inculcarem.

4. Liberalius adhuc adjungitur: " *Suſpendo tantum de* *Quarta.*

„ *hoc*

„ *hoc aſſerto meum Judicium.* " Fatetur ergo Cl. *Theologus*, ſe *plane incertum* hactenus, tanquam ambiguis nutare, ac natare, lancibus; vel potius in *æquilibrio* pendere perfectiſſimæ *dubitationis.* Si *perpetuum*, ac *nunquam intermiſſum Linguæ Hebræo-Biblicæ ſtudium* hunc *tandem* Ei diligentiæ indefeſſæ fructum tulit; non equidem invidemus: miramur magis.

Sed non invidebit quoque, ut ſpero, Cl. *Diſſertator*, ſi nobis *Linguæ Hebræo-Biblicæ* cultura ad *Annum quinquageſimum ſecundum ætatis* privatim, ac publice, in *Academiis*, producta nunc, & exercita, jucundiorem, attulerit *fructum* talis *convictionis*, quæ nec ipſa dubitare, ſi vellet, poſſet: & *dubitationem* quoque Cl. *Theologi* ſe evicturam, & penitus diſcuſſuram eſſe, planiſſume confidit.

Complicatio quinta nudatur. XXXIV. Hanc operam a me expectare videtur, atque adeo jure ſuo nunc exigere poteſt Cl. *Diſſertator.* Id ſic ſatis jam placide poſtulat ad finem *Notæ.* " *Non* „ *audeo enim in quæſtionibus facti, qualis eſt hæc, aliquid* „ *affirmare vel negare*; *antequam videam teſtimonia idonea* „ *hiſtorica repetita ex caſta*, & *neutiquam corrupta, anti-* „ *quitate.*

Primo 1. Accipimus primum, quod datur; quum ait: " *Non* „ *audeo negare* &c. " Ergo in poſterum placabiliore nobis uti licebit Cl. *Theologo*; neque ullo jure a nobis petere poterit, ut miſſa noſtra firmitate, unde & ipſum ſumus confirmaturi denuo, ad Ejus infirmitatem, & dubitationem, deſcendamus.

Secundo. 2. Miramur interim alterum illud; *Non audeo adfirmare* &c. Itane vero? An ergo *audax*, & *temerarium facinus* admiſſum ab iis, qui *adfirmant* LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULAM FUISSE! O infelicem modeſtiam! O metum præpoſterum! Cur ergo Cl. *Diſ-*

Diſſertator de hac *Quæſtione facti* aliquid eſt *affirmare auſus*, non ut *Philologus*, ſed ut *Theologus*, ad culmen jam Sapientiæ ſuæ, & Auctoritatis, provectus, quum nuper admodum, Anno 1730. *Tertiam Editionem* procuraret *Comm. Belg.* de *Veris Viis Dei. pag.* 721. &c.

An tunc *audax* fuit & *temerarius?* quum ita hac de re pronunciaret: " PROBE SCIO *Deum has Linguas*, He-
" braicam, & Græcam, *elegiſſe*, *vel*, *quia populus*, *cui*
" *Deus* REVELATIONEM *dabat*, *ad aliam Linguam*
" NULLUM *habebat* ACCESSUM; *vel*, *quia illa* IN-
" TER MULTAS GENTES MAXIME USITATA
" ERAT. *Sic Deus Libros V. T.* HEBRAICE *dedit*
" ISRAELI, *quia* ISRAELITÆ *illis diebus* NULLAM
" ALIAM LINGUAM *intelligebant* &c.

Par non eſt, ut qui tales ſui obſides dedit in publico; atque talibus pignoribus ſeſe ad *Veritatem* hancce, quæ *Revelationem* ipſo fatente fulcit, nobiſcum defendendam obligavit, atque religioſiſſime adſtrinxit: ut is, inquam, a Sanctiſſimis hiſce vinculis, velut animi cauſa, reſiliat, atque frigidule nobis ingerat: *Non audeo in quæſtionibus facti*, *qualis hæc eſt*, *aliquid affirmare*, *vel negare*, *antequam videam idonea teſtimonia hiſtorica*, *repetita ex caſta*, *& neutiquam corrupta antiquitate.*

3. Circumſpectiſſime enimvero! Quis non crederet *Tertio*; ipſam Sapientiam in tanta, & tam ſollicita, circumſpectione reſidere? *Idonea teſtimonia! Caſta Antiquitas! Eaque neutiquam corrupta?* An non *Veritas* & *Religio* ipſa hæc dictaſſe videntur? Hoc eſt illud quod *Lectores* minus firmos, vel peritos, ſibi ipſis aliquando excutit, & vel invitos cum *Audaci Dubitatore* in neſcio quam *Dubitationem* implicat, atque irretit.

Nempe impetrare a ſe nequeunt, ut exiſtiment, talia a quoquam Erudito, multo minus a Profeſſore *Theologo*

N cui

Digitized by Google

cui aliqua ſui Reverentia, confidenter enunciari, atque evulgari poſſe, quin ſaltem aliquid ſubſit, quod refelli, ac confutari, vix queat.

Si omnibus ſatis promtum foret, quid hac in parte *idonea* efficiat *teſtimonia hiſtorica*, quid *caſtam*, & *neutiquam corruptam*, *antiquitatem*; quivis continuo nubeculam oculis offuſam diſſipare poſſet. Nunc ſemet primum hac in parte ludens Cl. *Diſſertator*, alios ſecum eludit, atque in commiſeratione dignum *Scepticiſmum* circa *Theologiæ* ſuæ principia, ac firmamenta, ſeſe conjicere mavult; quam cum Veritate, & cum ſemet Ipſo, in gratiam redire.

Ad Complicationem ſextam obſervationes noſtræ.

XXXV. Certe niſi ſemet ipſe fruſtratus eſſet Cl. *Diſſertator*, per captioſam definitionem *Idoneorum teſtimoniorum*, quæ ſola ſe admittere velle denunciat; non ſubdidiſſet, *quæ & qualia hic ex Antiquis proferri poſſe Monumentis*, *non exiſtimo.* Eſt deluſio ſui ipſius, & aliorum, omnem captum ſuperans.

In ea tamen ſibi placet Cl. *Theologus*; contra ſe ipſum argutus: atque ſub ea, tanquam *Ægide* aliqua, adeo ſibi tutus videtur, ut *Epinicium* ſibimet accinat. *Non eſt Dubitantis*, *ſed tantum Adfirmantis probare. Adfirmanti enim tantum incumbit probatio.* Haud vidi magis.

Prima Animadverſio.

1. Serio triumphat Cl. *Theologus*, quod *Dubitator perfectiſſimus tandem ſit* factus in *capitali Veritate*; quam ut *Indubitatam* cum omnibus, Doctis juxta indoctiſque, per totum curſum Miniſterii, & Profeſſionis, *crediderat*, *ſanxerat*, *ſigillo privato*, & *publico*, *Auctoritatis ſuæ obſignarat*.

Secunda.

2. Hinc ita ſe infert. *Non eſt* Dubitantis, *ſed tantum affirmantis probare.* Quid tandem *non eſt dubitantis*, *probare?* An *id de quo dubitat?* Joculare. Quomodo enim

probet,

probet, *ſi dubitet*: & viciſſim, quomodo *dubitet*, ſi *probaverit?*

3 Sed cur *dubitat?* An non propterea, quod *Rationes* adſint, quæ *æque ſuadeant*, quam *diſſuadeant?* Et viciſſim quæ, Ipſi ſaltem, id æque *diſſuadere* quam *ſuadere* videantur? *Tertia.*

4. An ergo *Rationes* tam *ſuadentes*, quam *diſſuadentes*, ut par erat, hac in *Quæſtione* movenda expoſuit Cl. *Diſſertator?* *Quarta.*

Nil minus: nam vel imperiti ſtatim ſenſiſſent, *ſuadentibus rationibus* adeſſe *vera pondera*, at *diſſuadentibus* nihil ineſſe momenti, niſi quod *Dubitantis* nutus iis addiderit.

5. Integrum ergo nobis, Ipſo concedente, in illam inclinare partem, quæ haud dubie præponderat: & omnis Cl. *Theologi dubitatio*, id eſt *univerſa Diſſertatio de Lingua primæva*, *ne quidem extremas noſtri Syſtematis margines attingit.* *Quinta.*

6. Quid, quod ipſe Cl. *Theologus* jam *dubitare* cogatur, an nos tetigerit? Nempe, ut *nihil adfirmare* nunc *audet* in hac quæſtione, ita diſertim inculcat, ſe NUNC NON *negare*, LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULAM *fuiſſe*. Non eſt ergo abſurdum, *ut fuerit*; quin, ad æquilibrium Cl. *Dubitatoris*, ÆQUE VERISIMILE *eſt* FUISSE VERNACULAM, *quam* NON FUISSE. Ergo jam ſecum ambigere debet Cl. *Theologus*, & velut *dubiis lancibus ſuſpenſus* ſemper hærere, *ferieritne* me in *Diſſertatione*, an *non ferierit?* Quin, ſi bene *dubitationem* ſuam, quæ *nec adfirmet* quicquam, NEC NUNC NEGET, examinare, ac perpendere dignetur, vel in ſua ipſius mente, & ſuum ob honorem, propenſius ſentiet, & veriſimilius, ſe *non feriiſſe*, quam *feriiſſe*. *Sexta.*

7. Nobis quidem, nimis, nimis ſane, liquet, *feri-* *Septima.*

Digitized by Google

re voluiſſe Cl. *Diſſertatorem*; ſed *non feriiſſe*: quippe quibus *luce meridiana clarius* conſtet LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULAM FUISSE.

Hoc, *citra ullam dubitationem* ADFIRMANTI; INCUMBAT *ſane* PROBATIO, quando ita placet Cl. *Theologo*: neque enim ut *ſuccumbamus* periculum eſt.

Acceditur propius ad Controverſiæ noſtræ ſtatum.

XXXVI. Eam Provinciam tanto minus detrectare poſſum, quanto propius cura hæc cum munere meo publico conjuncta eſt; quantoque religioſius mihi providendum, ne quid *Res Hebræa capiat detrimenti*, per *Hypotheſes* ab omni ratione abhorrentes, & *Infinitam dubitationem*, ac *fruſtrationem*, miſeris juvenibus objicientes.

Utinam modo tam felici mihi eſſe contigiſſet, ut non noſtra ab *Academia* illa *ſtudii Hebraici* macula, & labes, mihi depellenda fuiſſet!

Quando tamen ita res jam cecidit; atque propior conflictus, unde abſtinere malueram, declinari amplius nequit: non inutile fuerit, ante quam in aciem deſcendam, *Statum præſentem noſtræ Controverſiæ* omnium oculis ſubjeciſſe. Tenebras non amat; multo minus quærit, ultrove ſibi circumfundit, bonus pugnator.

Ignobilis quoque ignavique pectoris eſt, poſt carecta latere, ut inde occaſiuncula captetur.

Ejuſque duplicem conſpectum: pro duplici Editione.

XXXVII. Ne quicquam tale commiſiſſe videamur, exhibebo *duplicem conſpectum* noſtræ *Litis*.

Alterum quomodo ea ſeſe ad *primam Editionem Diſſ. de Ling. prim* habuerit. Alterum, quemadmodum nunc ſeſe habeat ad *Secundam Editionem priori* multimodis *auctiorem*, *emendatioremque*.

Primus conſpectus ad prim. Edit.

XXXVIII. Quod ad *primum conſpectum Litis* noſtræ attinet, quem *prima Editio Diſſertationis* de *Ling. primæva* aperuit: eum *primus* noſter *Excurſus* ad *quatuor majores Quæſtiones* revocari poſſe oſtendit: reliqua enim, quæ paſ-

Digitized by Google

paſſim admixta, vel acceſſoria ſunt, vel paratui faciundo congeſta, vel talia, de quibus ne diſceptari quidem par eſt in publico; niſi *Triconis* & *Rixatoris* titulum forte, ac lemniſcatas palmas, quis ambiat. *delineatur, per quatuor* Theſes.

1. Prima Quæſtio. *An Lingua Hebræa, qua Lingua, tota, quanta quanta, fuerit Divina?*

2. Secunda. *An Lingua Hebræa Hebræis vernacula fuerit, nec ne?*

3. Tertia. *An Joctanidæ* ex *Domo Heberi*, in *Arabiæ peninſulam* iverint Coloni; ut Ego cum ſummis *Philologis* & *Theologis*, ſtatuo: an, ut contendit Cl. *Diſſertator*, in *Armeniam Borealem* commigrarint?

4. Quarta. *An Lingua Arabica* ſit *pura*, & *genuina dialectus Linguæ Hebrææ*, ut omnes, qui eam callent, una mente ac voce teſtantur: an vero *impuriſſima* ſit *latronum Dialectus*, ex *omni fæce*, & *colluvione* concreta, atque commixta: ut Cl. *Diſſertatori* pro auctoritate ſcilicet ſua his in literis, ſcientiiſque, pronunciare, & meliora licet monito, denuo promulgare placuit.

XXXIX. Qui ad has *Quæſtiones* vel paululum reflectent, continuo ſentient, me ad *duas poſteriores*, ad quas profunda cognitio *Ling. Arab.* requiritur, ne congredi quidem vel poſſe, vel debere, cum Cl. *Theologo*: quippe quem materias iſtas procul tantum appareat ſalutaſſe. *Duæ poſteriores mere Philologicæ, quæ requirant magnam* Ling. Arab. *cognitionem*.

Si ergo intra hos fines ſeſe continuiſſet, vacuum liberumque *Viro Venerando* reliquiſſem Campum, ut & contra *Originem Linguæ Arabicæ*, & contra *ejuſdem puritatem*, tantum diſſereret, conſcriberetque, quantum Ei Volupe.

Exiſtimaſſem, has eſſe opinationes *privatas*, quibuſcum jam a longo confligor, quas *publicari* conducibilius eſſet *Veritati*, & *Syſtemati* noſtro, præ quam ut intra parietes, interque circulos, profeminarentur: quippe quæ in lucem eductæ, judicioque publico expoſitæ, omnem auctoritatem ſua ſponte amittant.

N 3 XL.

Digitized by Google

Duæ priores ad Theologiæ *confinia pertractæ.*

XL. Id num Vir Clariſſ. ipſemet perſenſerit, dicere non habeo. Hoc ſcio, Eum duobus hiſce *Philologicis decretis ſuis* non contentum (quippe quæ verior *Philologia*, & *Antiquitas*, facile refellat, ac confutet) robur, ac firmamentum *Theologicum* iiſdem circumdare anniſum eſſe, ut tanto gravior, certiorque, his de rebus Judex ſederet.

Hunc in finem ambabus ulnis ſuſcepta *imaginatio* illa *Guſſetiana*, de LINGUA HEBRÆO-BIBLICA *in ſe* DIVINA, LUCIDISSIMA, & SOLIS INSTAR REFULGENTE: ut inde, tanquam ex *Arce* quadam invicta, feriri poſſent, qui de DEFECTIBUS COGNITIONIS *noſtræ in Lingua Hebræa*, deque *Luce* ex *Dialectis* ulterius inferenda, loquerentur.

Hæc jucunda *Imaginatio*. cum miris opportunitatibus agendi inde porrectis, mox aliam traxit, ſuggeſſitque; quæ non minus opportuna viſa, ad *Syſtema* noſtrum funditus ſubruendum: *gratis* videlicet *ſuppoſitum hactenus*; LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULAM FUISSE. *Id* NUNQUAM NEC PROBATUM; NEC PROBANDUM &c. &c.

Diſſertationi *ſuæ fulciendæ omnem ſuam Auctoritatem* Theologicam *impendit Cl. Diſſ.*

XLI. *Ad hiantes* haſce *Theſes* fulciendas, & Studioſis ſaltem inculcandas, video Cl. *Diſſertatorem* omnem ſuam *Auctoritatem* & *Dignationem Theologicam* admovendam, atque impendendam duxiſſe: ut quod *rationibus* & *demonſtrationibus* vinci non poſſet, conſummatiſſimæ *ſapientiæ*, *Experientiæ*, & *ſenectutis pondere* pervinceretur.

Huc collineat notabilis ille *paragraphus*, qui in *Edit. prima paginam* 198. in *ſecunda*, 210. occupat. Etenim

1. Indignatur ibi quodammodo, Vir Clariſſ. „ *quod* „ *ita edoctus a præceptoribus nimis diu in ea ſententia hæſerit*, „ quæ ſtatuit, LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS „ VERNACULAM *fuiſſe*.

2.

2. Provocat deinde „ *ad perpetuum ſuum , ac nunquam*
„ *intermiſſum, Linguæ Hebræo - Biblicæ ſtudium.*

3. „ *Valuiſſe enim apud ipſum , a prima juventute uſque*
„ *ad hanc ætatem Apelleum illud* , Nulla dies ſine linea!

4. Iſta *tandem* diligentia ſe *edoctum* „ *quod hoc aſſertum*
„ de LINGUA HEBRÆA HEBRÆIS VERNACU-
„ LA , *inter illa ſit , quæ adhuc nunquam probata ſunt , ac*
„ *quoque* NUNQUAM *probari poſſunt* : vel ut poſtea
„ editum, *ac quoque* NUNC *neutiquam probari poſſunt.*

XLII. In eundem Scopum tendunt , præter alia alibi *Notabilis locus.*
producenda , quæ extant *Edit. prim.* p. 216. 217. at *Edit. Altera* p. 233. „ *Quare etiam haec Hebræo - Biblica Lingua,*
„ *ſecundùm nativam ſuam explicari non poteſt indolem , niſi*
„ *ejus interpres aſſidua ſacrorum Bibliorum* LECTIONE,
„ *atque* ATTENTISSIMA & PIA ARGUMENTI
„ *eorum* MEDITATIONE , EAM *ſibi reddiderit* FA-
„ MILIARISSIMAM : *atque inde , tanquam* UNICO
„ *eorum* FONTE , OMNIUM *ejus* VOCABULO-
„ RUM , *ac* PARTICULARUM *uſum* , & CON-
„ STRUCTIONEM *quam* PERSPECTISSIMAM *ha-*
„ *beat.*

Quis non *Profeſſori Theologo* huc *conſummationis* provecto, fidem lubens adjungat , atque adeo ſancte ſubjungat?

Sed vide jam , quid in me, meique ſimiles , adjectum ſit in *Altera Editione* , velut *excurſu* quodam hic aucta.

„ Ut enim *Ciceronis Latinitas* non niſi ex *Cicerone* : & *Criticum quid.*
„ *Latinitas Terentii* non niſi ex *Terentio* erui, ac demon-
„ ſtrari poſſunt : ſic *Lingua Hebræo - Biblica* non niſi ex
„ *contextu Hebræo - Biblico* erui ac demonſtrari poteſt. Qua-
„ re etiam *Quintilianum* illud , quod de Cicerone dicit
„ hic recte accommodare poſſe videmur. Ille ſe
„ multum profeciſſe exiſtimet , cui *contextus Hebræo - Bi-*
„ *blicus* valde *placere* incipit. Qui vero Linguam He-

„ bræo-

Digitized by Google

„ bræo - Biblicam, ejuſque *Vocabulorum notiones aliunde* „ eruere, atque demonſtrare moliuntur: illi committunt, „ ut loquuntur *Logici*, non tantum *petitionem principii*, ſed „ & *ignorationem Elenchi*.

Quis hic *petitionem principii* committat, quis in *ignorationem* perpetuam *Elenchi* ſeſe implicuerit, ſatis vident, quibus oculi in fronte.

Sed hæ *periodi*, medulla *Critica* refertæ, alias enucleabuntur.

Nunc tantum eas produco, ut appareat Cl. *Theologum*, qui nullo nos reſponſo dignatur, Auctoritatis tantum ſuæ molem denuo nobis injicere, ut qui concedere non poſſit, conteratur.

Inſignis contextus ex Differt. prim.

XLIII. Quid, quod non ſuam tantum *Experientiam Theologicam* hic interponat Cl. *Diſſertator*, ſed etiam ad *communem* quandam aliorum, qui modo volent, provocet: *pag.* 217. *prim.* & 234. *alter. Editionis*?

„ Qui ita hac in *Lingua Hebræo-Biblica* verſabitur, ipſis „ EXPERIETUR documentis hanc Linguam neutiquam *Vocabulorum* aliqua laborare *penuria*, ac inopia, „ (ſatisfacit enim quam pleniſſime Dei in Scriptura loquentis Scopo) ſed eam ex *uberrimo fonte* ſuo, ac *fœcundiſſimo Vocabulorum ſuorum*, & *particularum ſuarum* „ *radicali virtute* ac *homonymia* ſuggerere *opulentiſſimum* pariter ac *venuſtiſſimum* ac *liquidiſſimum* ſenſum, quo Deus „ mentem ſuam quam *ſapientiſſime*, *evidentiſſime*, atque „ *efficaciſſime* ita expreſſit; ut UNUSQUISQUE, modo piam adhibeat attentionem, eam maxima cum ſuavitate, & jucunditate, percipere atque intelligere „ queat.

Non uno modo *Æquitatem* hic adverſus me neglectam, reverenter inſinuatum *Excurſu* meo *primo*: *pag.* 45. 46. potuiſſet ergo *auctiori* & *emendatiori Editioni Notulam* ſubnecte-

nectere, & me *criminationibus* hiſce ſuis *Theologicis* levare Cl. *Diſſertator*: ſed ſic nervus præciſus fuiſſet toti *paragrapho*, *Diſſertationique* ferme univerſæ.

Hoc alias, ſi forte quem fugiat, evincam. Nunc conſpiciendam tantum præbeo *gravitatem* illam *immotam*, qua ſe Cl. *Theologus* in hac acie ſubeunda obarmat; atque adverſus omnes meas velitatiunculas offirmat.

XLIV. Ejuſdem eſt *gravitatis Theologicæ*, cum aliqua *vehementia* jam conjunctæ, quod lego *pag.* 213. *prim.* & 229. *alter*: *Edit.* *Aliæ graves & ſeveræ ſententiæ.*

„ Qui ſuo etymologizandi pruritu *veram vocabulorum notionem* tantum *ex primitivis* atque *radicalibus vocabulis* „ (ne dum ſi hoc ex *adulterinis* & *peregrinis peregrinarum* „ *linguarum* moliuntur facere *radicibus*) conantur elicere, „ næ illi oſtendunt, quod magno conatu nil niſi difficiles „ atque obſcuras plane agant nugas „ *Altera Editio* exquiſitiſſimam attexit *notulam* occaſione *Viæ Regiæ*. Ea ſic ſonat " Corrupta illa *Metaphyſica quæ ſubtiliſſimas minutias* „ *vel minutiſſimas* ſectatur *ſubtilitates*, nuſpiam magis „ viget quam in *ſtudio Etymologico*, &c.

In quem hæc jaciantur, quivis ſentit. Si *fortia verba* victoriam dare poſſent, me victum ac profligatum faterer. Nunc me, per Dei gratiam, vel inde *ſtare ſcio in Veritate*, quod hanc quoque biliculam, quatenus me petit, lubens condonem Cl. *Theologo*; ſimul dolens, quod non ſenſerit ſe omnes jam non *principes* ſolum *Literaturæ* noſtræ, ſed etiam *Lexicographos*, ac *Commentatores* ferme omnes eadem indignitate adſpergere. Nunquam hoc à ſe impetrare potuiſſet vir Clariſſimus, qui utique non neſcit quid ſit *generoſum* illud *honeſtum*, & cui hic omnis *Ratio & Veritas* manifeſto adverſæ, niſi decreviſſet *graviſſimam* ſuam in nos *armaturam* educere, ut qui flecti recuſaret, frangeretur.

XLV. Hoc animo in arenam deſcenſum, nimium, ni- *Dirum quid.*

mium, eheu! patefacit *periodus*, quæ in *priori edit.* unum cum præcedentibus *Paragraphum* XVIII. tenet; atque p. 212. proſtat. Invehitur ibi Cl. *Theologus*, in eos qui voces *appellativas*, & *particulas*, *Radicales eſſe* poſſe negant, ac pro iis aliam *Radicem* quærunt: iiſque objecta *nimis ſubtili Metaphyſicatione* & *Sophiſticatione*, ita pergit. „ Hi Linguam „ Hebræo - Biblicam *obſcuritatis* & *ambiguitatis* valde „ ſuſpectam reddunt: atque apud Libertinos; Atheos; „ & linguæ Hebræo - Biblicæ oſores, in contemtum pla- „ ne adducunt.

Nunquam vidi Zelum infeliciorem. Sed hoc necdum detego. Oſtendo tantum quo genere armorum hanc pugnam ſibi decernendam duxerit Cl. *Diſſertator*; & quibus præſidiis *Theſes* illas, quas ſibimet extruxerat de LINGUA HEBRÆA TOTA DIVINA: (ac propterea HEBRÆIS NON VERNACULA *forte*) circumvallaverit undique; ut inde in nos, & noſtra omnia, pro arbitrio detonaret: atque ſimul fragore eo alios quoque, imprudentius acceſſuros, a rebus noſtris deterreret.

Admirabilis præceptio Hebraïzandi.

XLVI. Poſt decreta tanto terrore ſtipata, ad præcepta quoque ſe demittit Cl. *Diſſertator*; *pag.* 214. *prior. Edit.* ubi *Syſtema* noſtrum ita impetitur. „ Animadvertitis opi- „ nor, quam amplus mihi aperiatur *Campus Grammaticus*, „ ſi in eum digredi atque exſpatiari vellem. Ad hanc enim „ normam ſi quis, quod ADMODUM FACILE præſtari „ poſſet, LIBELLUM MEMORIALEM (nolo enim „ *Lexica Hebræa* ex manibus ſtudioſorum excutere) vel- „ let conficere, in quo ex *ſimplicibus Vocabulis ſubſtanti-* „ *vis*, ac *particulis* Linguæ Hebræo- Biblicæ, omnia iſtius „ Linguæ *verba* & *vocabula derivata*, & *compoſita* (ut ut „ apud Hebræos rariora) derivarentur, videret non tan- „ tum IPSE, ſed ALIIS quoque luculenter demonſtra- „ ret, *Linguam Hebræo - Biblicam* NULLIS non tan-

„ tum

„ tum laborare DEFECTIBUS; ſed eam A D SCO-
„ PUM DEI, in verbo ſuo loquentis, quoqu e eſſe *u-*
„ *berrimam, evidentiſſimam*, ac *ſufficientiſſimam*. Ut ne-
„ ceſſarium neutiquam ſit *ſenſum alienum aliun de* in *Sa-*
„ *cram* inferre *Scripturam*; ac *Spiritui Sancto*, in ea lo-
„ quenti, *obtrudere*. „

Eadem repetita in *Edit. alt.* p. 230. cum gemina ac-ceſſiuncula ſic ſatis callida. De iis mox aliquid.

Nunc moneo primum, me hunc *paragraphum* quoque *pag.* 43. 44. *Excurſ. primi*, in medium protuliſſe; *juſtitiæ, veritatis*, & *Amicitiæ* cauſa a Clariſſ. *Diſſertatore*, his ipſis verbis, depulſurus *labem* quam quis ei adfricare forte poſſet, quaſi toties DEFECTUS *Linguæ Hebrææ* negans, adfirmare vellet, NIHIL *omnino*, NIHIL *bodie* DE-ESSE *de ejus membris partibuſve*: quod quidem nemo niſi mente captus, aſſeveraſit. *Quem in finem locum hunc adduxerim jam in Excurſu primo.*

Oſtendo itaque Cl. *Theologum* longe aliud per DEFECTUS intelligere, quam ego: ſimulque honeſte a me removeo *Suſpiciones*, quas Vir Clariſſ. de me, errore Vocabuli, concepiſſe videtur, quaſi Verbo Dei detraherem *Ubertatem, Evidentiam, Sufficientiam* &c., demonſtrans quoque ibidem, me eàdem Religione, & Adfectione, *Scripturæ ſacræ Integritatem, Evidentiam, Excellentiam, Divinamque ubertatem* adeo, ac *ſufficientiam*, quin *incomparabilem*, & nulla humana facundia æquandam, *magnificentiam* agnoſcere, atque amplecti, qua Ipſe Cl. *Theologus* has dotes *Scripturis* jure meritiſſimo vindicat.

Hoc quum in *Excurſu* meo *primo*, & ibi, & alibi locorum, tam ſincere expoſuerim, tam ſanctequE contestatus ſim, quid cauſæ dicam, quod Cl. *Theologus* hunc *paragraphum* in *Altera Editione* adeo non mutaverit, non mitigaverit; ut etiam eundem intendere, & *gemina inſertione* roborare conatus ſit? præſertim quum *Divinitatem* *Iſti Humanitati par gratia non refertur.*

Linguæ, qua *Linguæ*, jam palam in hac *Nova Editione* abjecerit; & *Vernaculam* fuiſſe *Hebræam*, ſaltem NUNC *non neget*; ſed *in medio relinquat*? Quid, inquam, cauſæ? An dicam, non videri a *Viro Clariſſimo*, non ſentiri in hiſce, quæ omnes vident, quæ omnes ſentiunt? Id quidem ſuſpicari par non eſt.

Quid ergo? Nil pronuncio. Vereor tantum, ne quum Cl. *Theologus* hac ſola *Acie* ſe vincere poſſe viderit; atque etiamnum ſentiat: a ſe impetrare non potuerit, ut eam ipſe dimitteret; atque ſua voce quodammodo *exauctoratam* eſſe juberet.

Illius præceptionis Octo membra notabiliter inſignia. XLVII. Nec tamen valde formidoloſa erat iſta *Acies*, ante quam *nervus* ei per *alteram Editionem* incideretur, neque pulchre admodum firmiterve ſtabat.

1. In *Fronte* ſtatim occurrit *Libellus Memorialis*, quem *ſtudioſi* ſibi *conficere* debeant.

2. Quem etiam *admodum facile conficere queant*, ad normam a Cl. *Theologo*, qui neutiquam tamen *Grammaticum* agere cupit, præſcriptam.

3. In eo *Libello* conſignare eos vult *ſimplicia Vocabula ſubſtantiva*, ac *particulas* Linguæ Hebræo-Biblicæ.

4 Ex iiſque *omnia* iſtius Linguæ *verba*, & *vocabula derivata* & *compoſita*, (*ut ut apud Hebræos rariora*) *derivare*.

Inſertio Alter. Edit. 5. Hoc quum nemo intelligeret, inſertum in *Altera Editione*, *pag.* 230. ut *notionem eorum*, *ex uſu jam cognitam*, *illuſtrent*, ac *confirment*. Ne hoc quidem, qui meus ſaltem ſtupor, intelligo.

Rogo nunc tantum

a Unde *hauſtam*?
b *Quo uſu cognitam*?
c Unde *illuſtratam*?
d Unde *confirmatam*?

Magnæ

Digitized by Google

Magnæ diſcuſſiones: per quas digredi & ſpatiari utrique Noſtrum licebit, ſi Cl. *Diſſertator* propius pedem mecum conferre non dedignabitur.

6. Promittit Cl. *Theologus* conſilia hæc ſecuturo fore, *ut Ipſe videat, Linguam Hebræo-Biblicam* NULLIS LABORARE DEFECTIBUS. Quibus DEFECTIBUS? iiſne, quos Ego ſolos intendo, *Defectibus noſtræ Cognitionis?* Non credo. Non ſpero ſaltem. *Quibus* ergo DEFECTIBUS *videbit Linguam Hebræo-Biblicam neutiquam laborare?* Nempe *Defectibus Evidentiæ, ubertatis, & ſufficientiæ ad ſcopum* DEI, *in verbo ſuo loquentis.*

Atquin, & jam antea ignorare nec debuit, nec potuit, Cl. *Diſſertator*, tales *Defectus Linguæ Hebræo-Biblicæ* toto cœlo a mente mea diſſidere: & nunc ſaltem haud neſcit, quod *pag.* 45. diſerte ſcripſerim, tales *Defectus Sacræ Scripturæ* affricare velle, idem eſſe, ac SANAM MENTEM EJURASSE.

7. Hos DEFECTUS tamen denuo mihi objectat Cl. *Diſſertator*; inculcans iterum, *ipſum ſtudioſum non tantum viſurum, ſed aliis quoque luculenter demonſtraturum*, LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM NULLIS *non tantum* LABORARE DEFECTIBUS; *ſed eam ad ſcopum* DEI, *in verbo ſuo loquentis, quoque eſſe* UBERRIMAM, EVIDENTISSIMAM, *ac* SUFFICIENTISSIMAM.

Atquin opus non erit; ut propterea tantum laboris inſumant ſtudioſi; aut ut *Libellum Memorialem ſibi conficiant.* Vel ante, quam ad *Alphabetum Hebraicum* accedant, ex communi ſenſu videre, & aliis quoque *luculenter demonſtrare* poterunt, *Linguam* tam *Hebræam*, quam *Græcam*, in qua *Revelatio* facta, iſti *Revelationi faciundæ* non eſſe *inidoneam*, aut *propter* DEFECTUS ei hærentes *inhabilem*; ſed *eam ad ſcopum Dei, in verbo ſuo loquentis*, ſine ullo dubio *eſſe uberrimam, evidentiſſimam, ac ſufficientiſſimam.*

Quis

Quis non ſtupet, talia a *Profeſſore Theologo* ſtudioſis inculcari adverſus *Publicam* inſtitutionem *Profeſſoris Hebrææ Linguæ*, qui toties jam cavillationem iſtam refutavit, atque ex profeſſo eam adverſus Cl. *Drieſſenii* aggreſſiunculas vindicavit?

Sed ad talia nunc non deſcendo.

8. Pergo potius ad *Clauſulam*, aculeo, ſi pote, læſuram: *Ut neceſſarium neutiquam ſit*, SENSUM ALIENUM ALIUNDE *in Sacram inferre Scripturam*, *ac Spiritui Sancto in ea loquenti obtrudere.*

Inſertio ſecunda. Adjectum in *Edit. Altera p.* 231. per parentheſin, *id quod per juſtas Sacræ Hermeneutices Leges nunquam licet.*

Vides *Arma* quibuſcum adverſus me jam depugnavit Cl. *Drieſſenius*. Ea, *Jocando* ſatis repulſa, ac retuſa, autumabam.

Cenſura præceptioni iſti reſpondens. XLVIII. Ad hanc tam *facilem*, *clementemque Viam Hebraïzandi*, qua *Culmen Sapientiæ Hebraicæ* ſtudioſis ſuis, qui modo volent, brevi conſcendendum oſtendit, & promittit, Cl. *Theologus*, non eſt quod demiretur aliquis graviſſimam illam Cenſuram, quæ ut ab una parte contra *Methodum* noſtram, haud paulo difficiliorem, deſtricta, ita ab altera parte non leviter *Studioſos*, atque *Ordinem Eccleſiaſticum* noſtrarum regionum pungit; quod quum tam levi opera *Hebraicæ Eruditionis medullam*, & *nucleum*, ſibi comparare queant, eam tamen *Eruditionem* vix attingere, aut vel procul ſalutare, dignentur.

Exſtat ea cenſura *Edit. Prim. pag.* 218. *paragr.* XXV, & *Edit. Sec. pag.* 235. *paragr.* XXXI.

Non diffitebor, totum illum *paragraphum*, in omni ſuo ambitu lectum, expenſumque aliquoties, miras mihi concitaſſe cogitationes, quas alteri *Excurſui* reſervare cogor. Scilicet necdum *Anatomen* inſtituo *Membrorum* hujus *Diſſertationis de Ling. Primæva*; ejuſque interiora

ad

Digitized by Google

ad vivum ſeco: ſed tantum in *ſuperficie* verſor; atque expono ſingularem illam vim & fortitudinem diſputandi, qua adverſus me educens Cl. *Theologus*, potiſſimum *Auctoritate* ſua, magnis meritis quæſita, me debellandum ſumſiſſe videtur.

Quicquid *Eruditionis*, *Philologicæ* & *Theologicæ*, per totam *Diſſertationem* congeſtum, id huic Magnificæ Cenſuræ, in utramque partem irrogandæ, admirabiliter ſubſervit. *Ejus partes obiter luſtrantur.*

Eam per Periodos, quibus decurrit, luſtraſſe juvabit.

1. Exordium ſic habet. „*Non poſſum*, inquit Cl. *Theologus, quin hic Sacroſanctæ Theologiæ Studioſos, ac admodum multos Eccleſiarum Paſtores reprehendam, ac ſerio perſtringam.*" *Prima.*

2. Ne aſperius credatur, cavet parentheſis: „*Conciliant enim ſenectus & publici muneris mei ratio* AUCTORITATEM." *Secunda.*

3. Remota, vel mitigata, offenſione caſtigantur ſtudioſi, caſtigatur *Ordo Eccleſiaſticus*. „*Quod Sanctæ Linguæ Hebræo-Biblicæ ſtudium negligenter adeo tractent, ut illam neutiquam ſibi reddant familiarem.*„ Mirum profecto, quum in Celeberrima *Belgii Academia* Auditoribus numeroſis circumſtipatus ſemper fuerit princeps *Theologus*, ſi tam paucos, & parcos, habuerit æmulatores hac in parte. Ego in eos quorum ſtudia mihi plane incomperta, nihil judicii mihi arrogo. *Tertia.*

4. Adjecta gemina convictio. Prima hæc: „*Ac ſi parum intereſſet, num ipſum in contextu* HEBRÆO-BIBLICO QUEANT AUDIRE, & INTELLIGERE LOQUENTEM DEUM." Altera hæccce: „*Ac ſi ſufficeret Divinæ mentis interpreti* EX ALTERIUS *hominis* VERSIONE, *quam cum ipſo* DIVINO SPIRITUS CONTEXTU *conferre, atque ad eum examinare & excutere non* *Quarta.*

„ *po-*

„ *poteſt*, *de tremendi* DEI *auguſtiſſimis Oraculis pro concione*
„ *diſſerere.*"

Enimvero graves, & Profeſſore *Theologo* condignæ Evictiones, quibus *Obligatio Religioſiſſima* ſtudii *Hebraici*, & *Græci*, adſtringitur, atque inculcatur omnibus qui ad *ſacrum miniſterium* adſpirant.

Subverebar quidem ad *primam Editionem*, ne Cl. *Diſſertator* tam fortiter urguens illud, *in contextu Hebræo-Biblica* IPSUM AUDIRE & INTELLIGERE LOQUENTEM DEUM; atque DIVINUM *Spiritus* CONTEXTUM; iterum DIVINISSIMAM *quandam* LINGUAM, *qua* LINGUAM, *hic ſibi imaginatus fuiſſet*; & vel ſaltem ſtudioſis tale quid *imaginandum* obtuliſſet. Sed nunc omni me metu, & cura, exſolvit *Elucidatio*, cui debitum honorem ſupra impertivi; qua diſertim *ullam naturalem*, *eſſentialem*, & *interiorem ſanctitatem* a ſe *Linguæ-Hebræo-Biblicæ* inſeri, attribuique, pernegat Cl. *Diſſertator*: in *Nota Editioni Alteri* ſub ipſum hunc *Paragraphum* XXXI. & XXXII. ſubnexa.

Quum ergo convictio iſta gemina ſane quam graviſſima ſit, animos haud degeneres ferire apta, magis demirari eſt, ſi apud exiguum adeo numerum eorum, qui ab ore ſummi *Theologi*, ex quo ad *Academiam* acceſſit, pependerunt, ſumma Ejus auctoritas tam parum efficere valuerit; Idque credere non ſuſtinerem, niſi ipſe Clar. *Diſſertator* Teſtimonium hac de re dixiſſet.'

Quinta. 5. Adjectum non ſine indignatione. „ *Pudibundus ſane hic* „ *eſt multorum Theologorum torpor*; *cujus rationes ab iis haud* „ *dubie exacturus eſt* DEUS." Qui *pudorem*, *terroremque* ſimul *huncce* Auditoribus incutere ſolitus, *Eruditionis Hebraicæ* & *Græcæ* meros principes ab *Academia* dimittere ſuos omnes meruiſſet.

Sexta. 6. Propius idem hicce *pudor*, *terrorque*, admovetur: *Ma-*

Digitized by Google

Maxime quod SUPINÆ *hujus Negligentiæ, ac deſidiæ cauſam prætexere queant nullam.* Quid audio? An nullæ dantur cauſæ, quæ huic *Negligentiæ* prætexi & queant, & ſoleant? Atqui *Academiæ* ipſæ talium *prætextuum* plenæ; quas ipſi aliquando Viri Profeſſorii; (Cordatos & Officii ſervantes lubenter veras voces audituros, nullus ambigo) Viri, inquam, Profeſſorii adoleſcentulis ſuggerunt.

De hiſce ſi Capitulum aliquando aliquod *Excurſibus* meis inſeruero; non extra oleas fuero evagatus.

Duo majores prætextus ſub quibus a ſtudio Ling. Hebr. *reſilitur.*

In præſentia duos modo *prætextus* remiſſioris hac in parte ſtudii attingam; quos mihi ſæpe hiſce auribus meis, & in *Alma Ill. Friſiorum*; & in hocce Noſtro Bonæ mentis Sacrario, excipere contigit.

Primus prætextus a Difficultate Studii *deſumitur.*

א *Primus Prætextus*, ſub quo ſe *Literaturæ Hebraicæ* & *Græcæ* ſubducere expertus ſum etiam præſtantiora, & erecta, ingenia, ſumtus ex *Difficultate horum ſtudiorum*; quippe quæ *totum*, quod dicitur, *hominem* requirant. Melius ergo eſſe, & ſapientius, ſi qui *Theologiæ*, & *ſacro Miniſterio* ſe totum dicavit; id quod graviſſimum eſt, præponderare ſinat: & *Literas* illas procul potius venerentur, quam ut in iis profundius veſtigandis tempus conſumat.

Non dubito, quin quicquid eſt Nobilium pectorum in *Ordine Eccleſiaſtico*, hac vel ſola, vel præcipua Cauſa, a *profundiore ſtudio Linguæ Hebraicæ & Græcæ*, ſi forte in eo non tam firmi ſint, quam optarent, & juvenes abſtracti ſint, & Viri inter Viros facti, ſemet abduxerint.

Si iſti Cauſæ, quam Optimi quique adferunt, omnem *ſpeciem* detraherem, iniquus eſſem. Quid quod *plurimum* iſti Cauſæ *roboris* ineſſe, diffiteri haud queam? Nempe non de *Elementis Linguæ Hebrææ*, & *Græcæ*, utcumque percipiendis, ad aliquam promtitudinem *Explicatio-*

 nis

nis Vet. & *Novi Teſtamenti*, ſecundum *Verſiones* cuique *Vernaculas*, cum adminiculo *boni Lexici*, agitur; ſed agitur de *Conſummatiore harum Linguarum intelligentia*; *ejuſdemque Firmamentis in profundo ſimul*, *ſimul ſolido*, *locatis*. Magna materia de qua aliquid in *Excurſibus* differendum, anſa hacce porrecta, ſentio.

Alter prætextus a Facilitate *ejuſdem.*

ב *Alter Prætextus*, quo ignobiliora fere ingenia diligenti ſtudio *Linguæ Hebrææ*, & *Græcæ*, ſeſe in *Academiis* ſubtrahere ſolent, plane contrarium obtendit, atque ex *Facilitate* utriuſque *Linguæ*, in quantum eæ *Theologo* callendæ, honeſtum ſibi velamentum quærit. *Teſtamentum Novum* ad aperturam *Libri* explicare poſſe, Culmen ipſis *Eruditionis Græcæ*: *Hebraicæ* Faſtigium, conſimilis promtitudo ad *Contextum Originalem Vet. Teſt.* vel ex parte, vel in totum.

Ut huc perveniatur, nec multo tempore, nec magno labore, opus eſſe, tanto magis ſibi perſuadent, quod hæc ferme publica quædam traditio ſit, qua Adoleſcentes *ſtudiis Theologicis* dicati ſemet inter ſeſe imbuere conſueverunt. Nempe ut quis facile credit, quod verum eſſe miſere cupit: ſibi invicem in aures inſtillant, atque alii ex aliis avide combibunt, ſatis *facilem* eſſe *Linguam Græcam* ſi non extra fines *Novi Teſt.* eatur: *Linguam Hebraicam* autem omnium *Linguarum* eſſe *facillimam*, quippe quæ pauciſſimis tantum *Radicibus*, earumque *derivatis* conſtet.

Hoc judicio nihil abſurdius eſſe, omnes qui quid *Linguæ Veteres* ſint, callent, ut ultro ſentiunt, ita ſponte concedent. Creſcit abſurditas, ſi attendatur ad *Materiæ totius ſublimitatem*; ad *Oraculorum Cæleſtium profunditatem*; ad *Prophetarum* illud *os* grandiſonum, magnificum; in omne

ne flumen, lumen, fulmen Orationis Divinitus reſolutum.

Quicquid in *Græcis* monumentis, quicquid in *Latinis*, celſo cothurno incedit, aut ornamentis, & inſignibus ſtyli figurati, dicam, an picturati? reſplendet, id infra granditatem, gravitatem, & magnificentiam *Linguæ Hebrææ* in *Bibliis* longiſſime ſubſidit.

Vehementer ergo falluntur juvenes illi, qui *Linguam Hebræam* tam *facilem expeditamque* eſſe, ſibi invicem perſuadent: quum ſive *Linguam* ſpectemus, qua *Linguam*; ſive *Materias*, quas *Hebræorum* Vates nobis hac *Lingua* conſignarunt; omnia vere ut *pulchra*, ſic *ardua* eſſe perſentiſcant; quibus paulo interius hæc ſacra inſpicere datum.

7. Hoc quum omnes *Commentatores* atque *Interpretes* uno ore confiteantur; & quanto doctiores fuere, ac prudentiores, tanto magis teſtatum voluerint; jam non demiror, ſed plane ſtupeo, atque *Oculis meis* denuo *non credo*, quum Venerandum noſtrum *Theologum* contraria omnia teſtari video, hiſce verbis: „ *Datur enim* NULLA „ LINGUA *quæ* FACILIUS *addiſci*, *ac* FELICIUS „ *memoria comprehendi queat.* *Huic labi & ruinæ ſtudii Hebraici patrocinium ſuum publice præſtare videtur Cl. Theologus.*

Quando interim nunc excerpo tantum hæcce; non autem refello; *meo utar more*, & *addubitans* num vere Cl. *Theologus* ſentiat, & intendat, quod verba præ ſe ferunt, iterum *Elucidationem* hac in parte mihi præberi, Amiciſſime petam, quæ me *periculo erroris*, circa genuinam mentem Viri Clariſſimi, exſolvat.

8. Tanto magis mihi hanc *Elucidationem* efflagitandam eſſe video; quod Cl. *Diſſertator* ſuum ipſius Exemplum in medium ferat, eoque & *Facilitatem* hanc *incredibilem* *Eamque ſuo Exemplo ſancire.*

 ho-

Digitized by Google

horum ſtudiorum, & *Methodum* quam ſemper præſcripſit, ſanciendam duxerit.

„ *Sequantur modo*, ita pergit, *meum quod Auditoribus meis* „ *dare, & coram ſæpiſſime iis repetere ſoleo, Conſilium.* „ Apparet, Cordi fuiſſe Cl. *Theologo* ſtudia *Linguarum*; ut ea quam feliciſſime in *Academia* noſtra florerent.

Atque commendare 9. Conſilium publice, privatim, repetitum, hoc: „ *Incipiant quotidie ſtudia ſua a Lectione & Meditatione unius* „ *& alterius contextus Hebræo-Biblici Capitis, & claudant diem* „ *Lectione unius & alterius Capitis contextus librorum Novi* „ *Teſtamenti.*

Video *Viam* non ſane *difficilem*, & *Lectionem* ſic ſatis commodam; non longe nimis evagaturam; nec ſemet valde fatigaturam. Sed tamen ſubeſt aliquid quod captum meum excedit; quodque mihi explanari velim.

Quomodo *Lectionem* hanc *Hebraicam Vet.* & *Græcam Novi Teſtamenti* inſtituent Studioſi?

Cum *Verſione*, an ſine ea? Cum *Lexico*, an ſine eo?

Si cum *Verſione*, rogabo *quanam* potiſſimum? De *Lexico*, eadem Quæſtio.

Sine gemino hoc fulcro ſtare non poſſent utique: nedum progredi. Sed attigerint hoc pacto metam, intra *biennium*, *triennium*, ultra; quid tandem magni erunt aſſecuti? Si *facilem* curſum *felix* memoria ſecundarit, promtas & excitatas habebunt Ideas quiſque ad *ſuam Vernaculam*, ſuo *Lexico* munitam.

Hoc *Sapientiæ Biblicæ* in *Linguis Originalibus* Culmen a Clariſſ. *Theologo* conſtitui, Auditoribuſque commendari, non perſuadeor: proinde Conſilium hocce *Notula* ampliandum, & ſcrupulis mihi incuſſis liberandum.

Ut Culmen E- 10. Utinam quoque tam felici mihi eſſe detur ad *Clauſulam* totius *paragraphi*, qua ſic cuncta obſignantur. *Hoc*

ſi-

Digitized by Google

ſi faciant, experientur quotidie ſanctam Hebræo-Biblicam ac *ruditio-*
Græcam Novi Teſtamenti Linguam, ſibi valde fieri familia- *nis He-*
rem: atque hanc SANCTARUM *ſacræ Scripturæ* LIN- *braicæ ac Græ-*
GUARUM *cognitionem, optimum in ſacram Scripturam &* *cæ.*
certiſſimum eſſe Commentarium.

XLIX. Hæc tam obſcura, cum omni illa claritate, *Reflexi-*
quam oſtendunt, ut mihi quidem mera ſint ænigmata. *unculæ quædam*

א Quomodo, quæſo, ſibi *familiarem* reddent, & *ad hæc*
quidem *valde familiarem*, *Linguam ſanctam Hebræo-Biblicam*, ſi ea nunquam *in Terris uſurpata*; quin ne *Hebræis* ipſis quidem *familiaris*, ac *Vernacula* fuit?

Unde *familiaritas* iſta tandem acquiretur?

Num ex *Inſpiratione*?

An potius ex *Traditione Orali Judæorum*? Ergo *Commentatores* ſaltem *Judæi* erunt conſulendi.

An ex aliqua *Verſione Authentica*, LXX. *Virali* puta, ut *Iſaac. Voſſ.* contendebat; aut *Vulgata Latina* per *Hieronymum* caſtigata, ut volunt *Pontificii Doctores*?

Nihil diſpicio: & facem mihi præferri in tantis tenebris optem.

ב De *Græca* N. T. *Lingua* nihil jam interrogo. Veniet tempus, quando conſimili mihi libertate erit utendum; ad mentem Cl. *Diſſertatoris* hac in parte penitius percipiendam: prout enim nunc ſe res habet, ad ſuperficiem verborum, de quibus tamen nihil judicii fero hactenus, *Familiaritas* illa *Linguæ Græcæ N. T.* ſeſe ultra *verbalem memoriam Vocum*, & *Phraſium*, quæ in N. T. occurrunt, non extendit. Tam arctos *Græcæ Eruditionis* Cancellos *Auditoribus* ſuis circumdatos voluiſſe Cl. *Diſſertatorem*, iterum non perſuadeor: atque ut uno verbo veram meam mentem expromam, multo generoſius olim his de rebus, ſtudiiſque, ſenſiſſe credo Clariſſ. *Theologum*,

gum, quam nunc adverſus me diſſeruit, atque conſcripſit.

Apparet ex iis, quæ huc uſque deducta, Cl. *Diſſertatorem* nihil fere intentatum reliquiſſe, ad *Litem* hancce adverſus me ſuſceptam vel *ſupereminentia* ſua, & *Auctoritatis* ſuæ pondere, decidendam.

Acceditur ad alium contextum luminoſum. L. Eundem in Scopum directus *ultimus Capitis quarti Paragraphus*, *Edit. prim.* XXVI. *pag.* 219. Eum & hic mihi excerpendum video, quod non uno ictu obliquiore ibi impetar: quodque *Medullam* quaſi complectatur criminationum paſſim in me detortarum.

Inſtantia prima, nos oblique feriens. 1. Sic incipit. „ *Cum vero* DEUS *hac* SINGULA-„ RISSIMA *voluerit* LINGUA *deſcribi Oracula ſua*; *ut* „ *illa ſpeciatim Lingua ſuum de æterna hominis ſalute quam* „ CLARISSIME & SAPIENTISSIME *explicaret con-* „ *ſilium* &c. &c. *Dubitare non poſſumus*, *quin Deus hanc* „ *ipſam* HEBRÆO - BIBLICAM LINGUAM *ſua* „ *non minus providentia ab omni omnino vindicaverit* COR-„ RUPTIONE *ac* DEFECTU.

Non laſſatur Cl. *Theologus* repetitione odioſi illius Vocabuli, DEFECTUS; neque illam ſibi *Clavam* patitur extorqueri. Non ignorabat tamen me eam Clariſſ. *Drieſſenio* jam e manu decuſſiſſe: in *Vindic. Opuſc. de Defect. pag.* 134. 135. ubi oſtendi, hac *invidiola* & *captioſa torſione Vocabuli* DEFECTUUM *nihil* vel *injuſtius*, vel *commiſeratione dignius*, dici poſſe.

Qui adverſus eas *Revictiones*, atque tot diſertas in contrarium *Teſtificationes*, ad eandem tamen *indignitatem*, & *injuriam*, redeunt, neſcio quo modo vel a ſemet ipſis abſolvi queant.

Inſtantia ſecunda. 2. Inſtatur. „ *Quam credimus & adverſus Pontificios* „ STRENUE *defendimus*, *Deum Univerſam Veteris Te-* „ *ſta-*

„ *ſtamenti Scripturam ab omni* CORRUPTIONIS SPE-
„ CIE TUTAM *præſtitiſſe*. „.

Hoc *Schultenſius* non credit, ſcilicet! Non adverſus *Pontificios* defendit!

O Indignitatem! O arma impotentiæ! ad quæ ſi necdum monitus decurrere potuit *Theologus Groninganus*, fas ſaltem non erat, ut illuc meliora amiciſſime ſubmonitus *Theologus Leidanus* recurſaret.

An neſcit interim adfectui indulgens Cl. *Diſſertator*, ſe ipſum ita *Pontificiis* velificatum, cum novis ſuis vel *Hypotheſibus*, vel *dubitationibus*, circa *Ling. Hebræam Hebræis non Vernaculam*, ut *Locus Theologicus de Scriptura* totus hiare deberet, neque amplius adverſus *Pontificios* defenſari poſſet, ſi hiantibus hiſce opinationibus vel minimum loci concederetur? *Imprudentia incredibilis Cl. Theologi.*

Neutiquam tamen talia impingo Cl. *Theologo*. Ne retorqueo quidem ea: & perſuaſiſſimus ſum, nihil minus, quam *Conſequentias* haſce, & *Theologiæ* noſtræ *indecoras rimas*, ab Eo intendi; quamvis directe ex illa *Dubitatione* profluere videantur. E contrario, meæ circa *Linguam Hebræam* ſententiæ cum placitis *Pontificiorum* adeo nihil commune habent; ut iiſdem plane nervum omnem ſuccidant.

Hoc progreſſus horum *Excurſuum* in omnium oculis ita defiget, ut ne Cl. quidem *Diſſertatori* ulla *Dubitatio* remanſura ſit.

Nunc tantum paucis rogare liceat, an *Defectus Linguæ Hebrææ*, vel ſi mavelit, *Hebræo-Biblicæ*, quos a *Sacris Literis* ſtrenue depellunt *Theologi* noſtri, *Verbi Divini integritatem*, *Evidentiam*, & *perfectionem*, defendentes, contra *Pontificios*, illi ipſi ſint *Defectus*, de quibus Ego *Opuſculum* edidi? Hoc ſaltem aſſeverare debuiſſet jam ante Cl. *Diſſertator*, ſi ullum mihi verum ictum inferre voluiſſet.

At-

Atqui neque aſſeveravit unquam, neque ſat ſcio, aſſeverabit; quum ſi faceret, non mihi, ſed ſibimet, eam inſpergeret maculam, quam ne maria quidem omnia eluere valerent.

Tertius ictus in nos detortus. 3. Nihil ergo me ferit; ne tangit quidem, illud „ *Atque hinc procul omni dubio eſt, cur Chriſtus Judæos de hac* „ *Dei circa Verbum ſuum providentia certiores faciens,* LITERARUM *vel* MINUTISSIMARUM *atque* APICUM „ EARUM *fecerit mentionem. Amen, inquit, dico Vobis,* „ *uſque dum præterierit cœlum & terra,* JOTA *unum aut* „ *unus* APEX *nequaquam præterierit ex Lege, uſque dum* „ *omnia facta fuerint.* „

Doleo: ſtupeo: conatumque hunc extremum *Viri Venerandi* comploro.

Quartus. 4. Idem ſentio; idem dico; ad *Clauſulam* hancce. „ *Debitas haud dubie memori mente Deo perſolvere debemus* „ *gratias, quod* LIBROS *V. T. non tantum* INTEGROS *nobis conſervaverit; ſed quod* LINGUAM *quoque* HEBRÆO-BIBLICAM *ab omni omnino* CORRUPTIONE, *ac* DEFECTU *in hunc uſque diem* „ *tutam præſtiterit.*

Nulla in parte de INTEGRITATE *Sacri Codicis* quicquam delibo. Nullam CORRUPTIONEM *Linguæ Hebræo-Biblicæ* adfrico. Nullum DEFECTUM *interiorem* eidem attribuo; ſed contra quicquid eſt talium DEFECTUUM a pomæriis *Sacr. Script.* veris, juſtiſque, armis depulſare ſoleo.

Teſtantur id omnia mea ſcripta; & vel invitis omni *pagina* ingerunt.

Non capio proinde quid ſibi velint tot criminoſæ inſtantiæ, etiam poſt *Lucem Reviſionis* mihi ingeſtæ; niſi quod nimis verear, DEFECTUM *æquitatis* ſimul, & *Caritatis,* ſeſe his admiſcuiſſe, adverſus Eum qui omnes ſiniſtras ſuſ-

Digitized by Google

ſuſpiciones, & voces, jam tot per annos in ſe commotas, placidus, æquusque, excepit, toleravit, excuſavit.

LI. Elucet jam, clariſque radiis Veritatis, nubeculas fugantis, omnium oculis ſeſe inſinuat *Status Controverſiæ*; prout is ad *primam Editionem Diſſertationis de Ling. prim.* habebat.

Hactenus de Statu Controverſiæ primo, ad primam Edit.

Elucet quoque, cur, in *Excurſu primo*, Defenſionis meæ Clypeum non objecerim *Aciei Philologicæ*, adverſus me eductæ, circa *Coloniam Joctanidarum* in *Armeniam*, contra clariſſima *Antiquitatis* documenta, deductam; nec non circa *Impuritatem Linguæ Arabicæ* toties a me jam confutatam; toties revictam; & quam Nemo unquam objectavit, quin ſimul eo ipſo ſuam in hiſce Literis imperitiam, inſcitiamve, prodiderit.

Facile ſentiebam certe, idque nemo non mecum planiſſume intelligit, fruſtraneam fore omnem circa has duas Theſes *Reſcriptionem* & *Revictionem*, niſi Cl. *Theologum* primum ex Arce illa invicta, ut credebatur, in qua ſe collocaverat, detraxiſſem, atque *Theologicam munitionem* dejeciſſem, quam *Theſibus* illis ſuſtinendis, & firmandis, Arci iſti circumjecerat.

Ex Arce ſua detrahendus erat mihi Cl. Theologus, in primo Excurſu.

LII. *Quid?* an non diſerte dixi, ſi vinci poſſet, *Linguam Hebræam*, qua *Linguam*, *totam* fuiſſe *Divinam*, ut &; *Eandem Hebræis* VERNACULAM NON FUISSE: me Evidentiſſimam illam *Conſanguinitatem Sororiam Dialecti Arabicæ* cum *Hebræa*, quam nemo has literas edoctus vel negavit unquam, vel negabit, ut & *Chaldææ* ac *Syræ Dialecti* opem, miſſam facturum pro *Lingua Biblica*: quippe quæ tunc *terris* erepta, & in *Cæleſtes* ſubvecta *regiones*, non niſi *adflatu Cæleſti* & intellecta fuerit olim, & nunc quoque ſolummodo intelligi poſſet.

Sic ſe res habet: atque denuo publice teſtificari & poſſum, & debeo; quantumvis Convictiſſimus ſim tam de *Antiquitate*, quam de *puritate Dialecti Arabicæ*, Ejuſ-

demque ſimul *intima conſanguinitate* cum *Hebræa*; me tamen ultro conceſſurum, nec ex illa *Scaturigine* ditiſſima, nec ex reliquis *Fontibus Dialectorum*, *Linguam Hebræo-Biblicam* ullo pacto illuſtrandam eſſe; aut a *principibus Literaturæ* noſtræ ſatis prudenter illuſtratam fuiſſe; quum ſolus *Spiritus Sanctus*, Auctor illius *Linguæ Divinæ*, *nuſpiam* terrarum *Vernaculæ*, ut *Veritatum Cœleſtium* vim, ita *Grammaticam* quoque *Virtutem* & *potentiam* ejuſdem cum *omnium* & *ſingulorum Vocabulorum* tam *ſignificatione*, quam *conſtructione*, Lectoribus *Codicis Hebræo-Biblici* inſinuare queat. Confer quæ hanc in rem tacta obiter *pag.* 38. *Excurſ. prim.*

Indagine noſtra clauſus undique, deſcendere ex illis ſuis Munitionibus cæpit. LIII. Fieri ergo non poterat, ut, hactenus quidem, aliter cum Cl. *Theologo* congrederer, quam congreſſus fui. Et *Juſtitia*, & *Humanitas*, & *Bonitas* Cauſæ, nonnulla etiam *Prudentia* civilis, jubebant ſpatium concedere ſumme Venerando *Theologo*, ad *Theſium* iſtarum *Bigam*, in tanta præcipitia ducentem, ſedatius examinandam, & ſuæmet correctioni honeſtiſſimæ, ſubjiciendam. Factum. Correxit Cl. *Diſſertator* vel ſententiam, vel imprudentiores ſuas, hac in parte, *Phraſes* potius. Et quidem

א Prima illa *Theſis*, *Linguam Hebræam*, qua *Linguam*, *totam* fuiſſe *Divinam*, ita jam explicita, atque declarata; ut cum noſtris ſenſibus ne tantillum quidem amplius pugnare videatur,

ב Secunda autem Theſis, *Linguam Hebræam Hebræis forte nunquam Vernaculam fuiſſe*; a vehementiore *dubitatione*, quæ *negationi* ſimilis viſa multis, reducta *nunc* ad *dubitationem* haud paulo modeſtiorem ſcilicet; quæ *nec neget*; nec *adfirmet*; ſed ſe in *æquilibratione exactiſſima* ſuſtineat, atque ſuſpendat: unde nihil Juris Cl. *Diſſertatori* ad *Syſtematis* noſtri impugnationem relictum eſſe, vel ipſemet

Digitized by Google

met perſentiſcat neceſſe eſt; ſi modo ad naturam *dubitationis* quam *nunc* ingreſſus eſt, attendere dignetur.

LIV. Hæc quum ita habeant, exiſtimabunt forte *Lectores* noſtri, *Controverſiam* noſtram tantum non finitam eſſe: atque *Contentionem* noſtram in *Concentionem* amiciſſimam inclinare.

Exiſtimabunt quoque, nihil aliud nunc mihi remanere curæ, ac laboris, quam ut *duas poſteriores Theſes* de *Colonia Joctanidarum in Arabiam* certo certius *immiſſa*; & de *illibata puritate Linguæ Arabicæ*, a tenebris, quas iiſdem offudit Cl. *Diſſertator*, vindicem; atque ita *Veritatem* in claro, plenoque, die præbeam conſpiciendam. *Ergo Controverſia diremta videri poſſet hac in parte.*

Utinam vero mihi tam beato eſſe licuiſſet!

Utinam *Editio Altera Diſſertat. de Ling. primæva* iſtum mihi Campum jam liberum, omnique *criminatione Theologica*, id quod *Veritas*, *Virtus*, *Religio*, poſtulabant, exemtum dediſſet! Quam ego lætus, & alacris, quicquid hoc laboris, ſuſciperem, atque abrupta omni mora, in commoda humaniter *dubitantium*, *diſſentientiumque* circa haſce *Quæſtiones* mere *Philologicas*, exantlarem!

LV. Sed en mihi nec opinatum, inexpectatum, incredibile aliquid, quod remoram denuo & ſufflamen injicit. Clar. *Theologus* ex Arce *theſium* illarum, ex quibus *prima Editione Diſſertationis de Ling. primæva* tam gravia adverſus me arma commovit, in duabus *Notis alteri Editioni* ſubnexis, decedens, in repetita hac *Diſſertationis* evulgatione, nihil interim deminuit de vi & efficacia *inſtantiarum* ſuarum; quæ his *Theſibus* pervincendis adhibitæ credebantur. Nihil quoque remittit de ſuſpicionibus, & criminationibus illis parum æquis, adverſus me, & Anteceſſores meos, inſertis, quas ſolæ hæ *Theſes*, ut ſuggeſſerunt, ita ſuſtinere poſſunt utcumque; & ſpecie aliqua infirmiores oculos præſtrictura illinere, atque infucare. *Nec tamen ea ſopita.*

Digitized by Google

Sed contra acrior conſurgit. Quid? quod adeo nihil remittat *Altera hæc Editio*, ut in multis ſeſe intendat, atque animoſius adhuc conſurgat? Qui ergo antea *oculis* meis me *credere* negabam, quum *duas* illas *Theſes* adſtruere velle videbatur Cl. *Diſſertator*; nunc iiſdem iterum *fidem denegare* cogor; quum video aciem *Diſſertationis* recentatæ, ita denuo eductam atque inſtructam, ac ſi *Theſes* illæ in hac *Altera Editione* jam revera eſſent adſtructæ, evictæ, & firmiſſimis argumentis conſtabilitæ: non autem per ipſius *Viri Clariſſimi* annotationes deſtructæ. Neſciebam ita diſputari inter *Ordinis Profeſſorii* Viros; atque *Orbi Erudito* majorem reverentiam deberi autumabam. *Incredibile Phoenomenon.* Res inaudita, & fidem haud facile inventura, cogit me eo deſcendere, quo me non detractum, & adactum, mallem; atque poſt *primum Conſpectum Controverſiæ* noſtræ, prout ea ſe ad *primam Editionem* habebat; *Alterum* Ejuſdem *Conſpectum* pandere, ad *Alteram Editionem Diſſertationis de Ling. prim.* delineatum: ut appareat in *Textu* ipſo adeo nihil relaxatum ab hiſce duabus *Theſibus*; ut contra, Nervum ac Vires ſumſiſſe videantur.

LVI. Ad *alterum* huncce *Conſpectum* exhibendum, excerpendos mihi eſſe video ex *Diſſertat. de Ling. prim.* illos *paragraphos*, qui ut potiſſimum *Bigæ* huic *Theſium* ſuſtinendæ, & in *Orbem Eruditum* provehendæ, deſtinati erant in *prima Editione*, ita eandem ξυνωρίδα in *altera Editione* eadem, quin majore adhuc, Auctoritate, ſuſtinent, provehunt, atque *Lectoribus*, mira cum confidentia, denuo ingerunt.

Acceditur ad Alterum conſpectum Hæc *Excerptio*, e qua nunc amputabo quicquid non alicui harum duarum *Theſium* ſulciendæ ſubſervit, quandam quaſi *præluſionem* dabit *Examinis honeſti*, quod in *Univerſam Diſſertationem* ſuſcipere cogor; ne Cauſam Veritatis, & Eruditionis, nimia Humanitate erga Virum *Theologum*,

gum, ejuſdem non valde erga me memorem, prodidiſſe merito arguat.

Status Controverſiæ; in quam Altera me Editio nunc implicuit vel invitiſſimum.

SECTIUNCULA PRIMA

exhibens

STRICTURAS

AD

CAPUT PRIMUM

Diſſertationis de Lingua primæva.

Cur duas Theſes adoptaverit Cl. Diſſertator.

LVII. QUum Cl. *Theologus* hanc *Diſſertationem* adverſus *Syſtema* noſtrum commeditaretur, & *Excurſionem* illam, quam in nos dare cœperat *Inſertio Belgica* in *Comment* de *Chriſti Ortu e Davide*, cujus mentionem feci *pag.* 17. 18. *Excurſ. primi*, graviori impreſſione ſuſtinere, ac proſequi decreviſſet; facile intellexit ſe operam luſurum in *Arabicæ Dialecti illibata puritate*, & *Sororia cum Hebraica Dialecto conſanguinitate*, oppugnanda, niſi poſteriorem illam eo extuliſſet *Dignitatis*, *Eminentiæ*, *Sanctitatis*, & *Divinæ Majeſtatis*, quo nullis *Linguis Humanis* adſpirare, atque eſcendere, datum.

Guſſetianiſmum aliter defenſæ.

Ut hanc *Guſſetianiſmi Arcem*, in *Diſputationibus* meis *ad Origines* funditus everſam, denuo excitaret, ad firmiuſque faſtigium educeret Vir *Clariſſimus*, longius eve-

ri non poſſe ſentiebat. ctus quam ipſe *Guſſetius*, inter ſuos diſſertare occœpit de *Lingua Hebræo-Biblica* in *abſtracto*: quæ per ſe *ſanctum* aliquod & *Divinum Linguæ Corpus* conſtituiſſet olim; ac propterea *ullius Gentis Vernacula*, ne *Hebræis* quidem, utpote impiis juxta piisque communis, cenſeri haud deberet.

Intelligebat quoque barum Theſium *mole omnia noſtra ſemel obrui poſſe.* Hæc duo ſi obtineri poſſent, vel aliquo modo ſaltem plauſibilia reddi, intelligebat facile Cl. *Theologus*, ſe graviſſimam rebus noſtris injecturum eſſe ſecurim, talemque iiſdem impoſiturum plagam, quæ vix ac ne vix quidem depulſari poſſet.

Ut juvenibus, a Viri ore pendentibus, talia perſuaderentur, haud magno conatu opus erat. Ardui erat moliminis, *Theſibus* tam abſonis, & ab omni ſimilitudine Veri abhorrentibus, aliquam in *publico* ſpeciem conciliaſſe: & multitudini quoque ad quandam comprobationem inſinuaſſe.

Artifiicioſum hinc Syſtema *fabricari coeptum.* His ergo *Theſibus* ſuffulciendis excogitatum, exaſciatum, expolitum, novum plane, mirificentiſſimumque *Syſtema*, circa ORIGINEM, & *propagationem* LINGUARUM; in quod cum apparatu profundioris cujuſdam *Philologiæ*, *Philoſophiæ*, & *Theologiæ*, ſimul, *Lingua Hebræo-Biblica* tanquam *Singulariſſimus* quidam, & *plane Divinus ſermo*, naturaliter quodammodo includeretur: atque ita *Fanaticum* illud, quod in *Lingua tota Divina*, & *nulli Genti Vernacula*, cuivis ſe offert, ſpecioſe velari, involvi, oculisque ſubduci poſſet

Fundamenta *ejus in* Capite prim. *jacta.* LVIII. Univerſum *Caput primum Diſſertationis* fundamentis jaciendis impenſum. Ejus aliquot *Paragraphos* breviter percurram, quatenus *Conſpectum* huncce *ſecundum Controverſiæ* noſtræ aperiunt: nil refutans adhuc; ſed enarrans. Sic ergo

Ad ejus *Paragr. I.* „ *Primævam Linguam* in domo ADAMI, „ an-

„ antequam ea in diſtinctas diviſa fuit familias, locum paragr.
„ atque uſum habuiſſe ſuum, pro certo atque indubitato 1. Stri-
„ aſſumi poſſe, & debere, cenſeo. „ ctura.

Hæc prima fronte ſimpliciſſima, ac quodammodo minus neceſſaria videri poſſent: nam quis, niſi inſubidus PRÆADAMITA, LINGUÆ *primævæ* poſſeſſionem, & uſum, ADAMO denegarit? Iſti tamen nugatoriæ opinioni *Introductionem* hancce opponi, haud veriſimile. Profundius quid intentum: quod ſe mox dabit.

LIX. Nempe *Paragraphus II.* ita continuat filum Strictu-
ſuſceptum. „ Quemadmodum & extra dubium poſitum ra ad
„ eſt, *Adamum primævam hanc Linguam*, atque *omnia* paragr.
„ *ejus* & *ſingula Vocabula* (ut omnia quæ poſſidebat, & II.
„ quibus exornatus atque auctus erat) *ab ipſo accepiſſe Deo.*
„ Ut adeo *omnia hæc primævæ Linguæ Vocabula*, *reſpectu*
„ *tam notionis*, *quam ſtructuræ eorum*, *Divinæ* plane &
„ *Originis*, atque *auctoritatis* fuerint „.

Habes *Medullam* quaſi totius *Diſſertationis.* Habes *Semen Linguæ* illius *Divinæ*, cujus *Auguſta appellatione* ſeque, Lectoreſque ſuos, implicuit Cl. *Theologus.*

Ad hæc paucula nunc teneantur.

1. Quum quid *extra dubium eſſe*, *Axiomatis* loco aſſumitur; ut reliquæ tractationi præmuniatur; nihil *ambigui* nec in Re, nec in Verbis, inſit oportet. In hac autem *complexione* tam *rerum*, quam *Verborum*, omnia ita ambigua, ut nihil ancipitius cogitari queat. Prima.

2. Ambiguum certe, quod tam ſignate dicatur „ *Ada-* Secun-
„ *mum* PRIMÆVAM *hanc* LINGUAM *ab* IPSO *acce-* da.
„ *piſſe* DEO. „

Scimus ſane omnes, *Creaturam* ex *Nihilo* potente juſſu eductam, ab *Ipſo Deo accepiſſe*, *quicquid accepit.*

Si nihil aliud dicere voluit Cl. *Diſſertator*, operæ pretium haud erat, illud *extra dubium* appoſuiſſe.

Ro-

Digitized by Google

Rogare ergo cogor ſtatim in initio, quid ſit, *Linguam primævam ab* IPSO *accepiſſe* DEO? Intelligitne Cl. *Theologus facultatem Cogitandi*, & *Cogitationes Verbis* veſtiendi, *naturalem*, an *ſupernaturalem*? Plura nunc non rogo; quod unum hocce præſenti Scopo ſufficiat.

Tertia. 3. *Supernaturale* quid ſpirat, quod dicatur, „ *Eum* „ OMNIA & SINGULA *illius Linguæ* VERBA *ab* IPSO „ *accepiſſe* DEO. „ Neque tamen certus adhuc ſum, Cl. *Theologum* hoc intendere.

Quarta. 4. Ad *Naturale* donum, & munus, Creatoris, me revocat *parentheſis*: („ ut omnia quæ poſſidebat, & quibus exornatus, atque auctus erat. „)

Quinta. 5. Sed en, quod iterum *Supernaturale* quid ferre videatur. „ Ut adeo OMNIA *hæc primævæ Linguæ* VOCABULA, *reſpectu tam* NOTIONIS, *quam* STRUCTURÆ *eorum*, DIVINÆ *plane* & ORIGINIS, & „ AUCTORITATIS *fuerint*.

Enimvero *Origo* & *Auctoritas* omnium *Linguarum* a *Deo* eſt, quatenus Deus *Auctor*, *Largitorque* præclariſſimi Muneris, quo reliquis animantibus præcellit Homo.

Eodem ſenſu quoque omnes *Linguæ humanæ*, *reſpectu tam* NOTIONIS, *quam* STRUCTURÆ, *Divinæ* ſunt & *Originis* & *Auctoritatis*: quatenus *facultas* illa *notionum verbis veſtiendarum*, & in *aptam ſeriem conſtruendarum*, Divinitus nobis collata.

Suſpicari tamen nefas, Cl. *Diſſertatorem* ita nos ludere voluiſſe.

Quid ergo? Et quamnam eſſe dicam *Divinam* hanc cum ORIGINEM, tum AUCTORITATEM, *reſpectu tam* NOTIONIS, *quam* STRUCTURÆ?

Non video, ſepoſito *dono naturali*, quid relinqui queat, quam *ſupernaturale Munus*, & *Lumen*: hoc eſt *Lingua inſpirata*; *immediato* ſemper *influxu adflatuque Dei ſuſtentata*

in

Digitized by Google

in primo parente. Utinam *Altera Editio* nos *Notula* hic auxiſſet, ad hæſitationem dirimendam! Sed forte *ſequentia* Cl. *Theologi* mentem clarius inſpiciendam dabunt.

LX. Accedo itaque ad *Paragraphum* III. " Ubi vero *Adami Domus* in *diſtinctas* cœpit dividi *familias*, fieri non potuit, quin illa *Primæva Adami Lingua* debuerit dividi & *diſtingui* in *varias* ac *multiplices Dialectos*. *Strictura ad paragr. III.*

Itane vero? An omnis *Diviſio Domus* in *diſtinctas familias*, neceſſario parit *varias* ac *multiplices Dialectos?*

Ego quidem nullum heic video nexum. Experientia publica reclamat. Natura ipſa refragatur. Oſtendi proinde velim, cur *aliter fieri non potuerit*? Mihi certe id, ad curſum naturæ, *fieri non potuiſſe*, clariſſime conſtat, ſi *Lingua Adami*, fuit *Donum Naturale*. At ſi *Supernaturale* concipiatur *Munus*, quod Soli *Adamo* proprium fuerit, jam aliquid *connexionis* ſentire incipio: neque tamen vel ſic aſſequor, quomodo ex *Lingua tota*, *quanta quanta*, *inſpirata*, ac *Divinæ* cum *Originis*, tum *Auctoritatis* in *omnibus* & *ſingulis Vocabulis*, enaſci queant, ac diffundi, *Dialecti* non *inſpiratæ*; & jam in *humanam conditionem*, ac *humilitatem*, delapſæ.

LXI. Hoc ipſum tamen utcumque exponere allaborat *Paragraphus* IV. " Ad has vero DIALECTOS ex primæva illa Lingua (quæ *Divinæ* prorſus *Originis* & *Auctoritatis* fuit) FORMANDAS, ipſum *Poſterorum Adami ingenium* deinde (ut cauſa ſecunda a DEO, tanquam cauſa prima, in actum deducta) multum conferre potuit. Ut adeo *hæ Dialecti*, ex *Primæva* elicitæ ac formatæ, non ita *immediate* (ſit venia vocabulo) a DEO ſuam acceperint *Originem* atque *Auctoritatem*, ac ipſa *Adami Primæva Lingua*. Interventu enim *ingenii humani*, tanquam *Cauſæ ſecundæ*, DEUS *Strictura ad paragr. IV.*

„ ex *Primæva illa Lingua*, ſecundum primævæ illius „ *Linguæ Analogiam* has derivavit ac formavit *Diale-* „ *ctos*.

Ad hæc notari velim.

Prima. 1. De *Primæva* illa *Lingua* denuo in *Parentheſi* inculcari: „ Quæ *Divinæ* prorſus *Originis* atque *Auctoritatis* fuit ".

Hoc jam aperte ſatis innuit, LINGUAM iſtam Cl. *Theologo* obverſari, ut INSPIRATAM.

Secunda. 2. Eodem tendit; IPSUM *Poſterorum Adami* INGENIUM *ad has Dialectos varias* ac *multiplices formandas*, multum conferre potuiſſe. Nempe *Adami ingenium* in *Lingua* plane *Divina*, *& per omnes notiones*, ac *conſtructiones*, *inſpirata ſibi* atque *infuſa*, nihil inveniebat, quod ageret; neque vel tantillum poterat *variare*, *multiplicare*, *novare* in eo, quod *Naturali* ejus *Facultati* ſubjectum non erat. Ex mente Cl. *Theologi* noſtri *Poſterorum* ejus *ingenium* demum ſe hac in parte exerere, & exercere, cœpit: indeque confeſtim *variæ* ac *multiplices Dialecti* pullulaſcere.

Tertia. 3. Idem hocce altera quoque *Parentheſis* firmat. " (Ut „ *Cauſa ſecunda* a DEO tanquam *Cauſa prima* in actum „ deducta ") Refertur ad *Ingenium Poſterorum Adami*: qui Ipſe nihil tale unquam expertus: plenus videlicet per univerſam vitam *Lumine Supernaturali Linguæ* illius *Primævæ*, quam ſolus puram, putam, meracam, planeque *Divinam*, hauſerat.

Quarta. 4. Huc collineat inſuper hocce *quartum*: " *Ut adeo* „ *hæ Dialecti* &c. *non ita* IMMEDIATE *a* DEO ſuam „ acceperint *Originem* atque *Auctoritatem*. "

Quinta. 5. Denique *immediatam* iſtam *inſpirationem* univerſæ *Linguæ Adamiticæ*, adſtringunt extrema: „ Interventu enim „ *ingenii humani* tanquam *Cauſæ ſecundæ* DEUS ex *Primæ-* „ *va illa Lingua*, ſecundum Ejus *Analogiam*, has derivavit „ ac formavit *Dialectos*. „

LXII.

Digitized by Google

LXII. Jam *indubitatum* forte quis autumet, Cl. *Theologum Linguam primævam* conſiderari velle ut *ſupernaturalem* plane, & *Humanis Facultatibus* digniorem, diviniorem-que. Mihi interim, ne quid diffitear, poſt omnia hæc nihil adhuc liquet de *Mente Viri Clariſſimi* : & necdum a me impetro, ut SUPERNATURALEM LINGUAM ab Ipſo intendi, urgerique, credam.

Supernaturalis Lingua *induci videtur a Cl. Diſſert.*

Præter infinitam rei *abſurditatem*, addubitare me cogit *Paragraphus I.* ubi lego, „ *Primævam Linguam in* „ DOMO ADAMI, *antequam ea* IN DISTINCTAS „ *diviſa fuit* FAMILIAS, LOCUM *atque* USUM *ha-* „ *buiſſe ſuum, pro certo atque indubitato aſſumi poſſe, &* „ *debere cenſeo.* „

Si jam *ſupernaturalem*, & *inſpiratam* in omni ambitu, per *omnia & ſingula Vocabula*, reſpectu tam *notionis*, quam *ſtructuræ*, *Linguam* intendiſſet Cl. *Diſſertator*, neceſſario inde conſequeretur, *Adamum & Evam* nunquam niſi per *Inſpirationem* inter ſe verba feciſſe. Conſequeretur item *inſpirationem* eandem adflare debuiſſe *Kainum & Habelem*; cum reliqua ſobole *Protoplaſtorum*; omneſque, quam diu in *Domo parentum* fuerint, inde a cunabulis, ac teneris unguiculis, ſonos dediſſe, qui *Divinæ* plane & *Originis* eſſent, & *Auctoritatis*; nihil *Humanum*, ac *Naturale*, hactenus quidem, reſonantes. Conſequeretur denique *univerſam Adami Domum* tum demum ab *immediato & Divino uſu Linguæ primævæ* ad *uſum* aliquem *mixtum*, & *non amplius ita immediatum*, deveniſſe, per *Dialectos* ex *primæva Lingua* elicitas, & *proprio ingenio*, tanquam *Cauſa ſecunda*, efformatas, quum Ea *in diſtinctas familias dividi*, atque divergere coepit.

LXIII. Hæc omnia quam ab omni *Ratione, Philoſophia, Theologia*, abhorrent, totoque cælo ſunt disjuncta; tam a meo ingenio, & candore, quo ſemper pro *Veritate* diſputare,

Neque *Ea invito & renuen-*

ti impingetur a nobis. per Dei gratiam, conabor, disjunctum eſt atque abhorret, ut Cl. noſtrum *Theologum* hiſce adſperſum, ſi ipſe nolit, velim. Abſit, procul abſit, a me tanta hæcce iniquitas, atque adeo importunitas!

Sincere adfirmo. Planiſſume fieri nequit ut *Clariſſ. Diſſertator* id velit, quod prima fronte velle videtur, quodque ab Ipſo intendi, omnes ferme *Lectores* vel ſuſpicantur, vel verentur. Mihi omnis diſcuſſus metus, per *Diſertiſſimam* illam *Elucidationem*, quæ nunc *Alteri Editioni* adjecta, per quam ab *omni interiori* & *eſſentiali ſanctitate Linguæ Hebræo - Biblicæ* nobiſcum ita reſilit Cl. *Theologus*, ut jam dextras hac in *Quæſtione* ſociare queamus.

Eadem Nota *eſſentialem* & *interiorem ſanctitatem*, id eſt *Supra - humanam* aliquam *Vim*, *Virtutem*, *potentiam*, non minus *Linguæ primævæ*, quam *Linguæ Hebræo - Biblicæ* detraxiſſe, & denegaſſe, cenſenda.

Hoc quum liquida luce liquidius nunc conſtet; adfirmare inſuper auſim; iterum *fieri non poſſe*, ut non omnibus hiſce paragraphis *complicati quid* ſubſit, quod, ex *commixtione duarum diverſiſſimarum Idearum*, Clariſſ. *Diſſertatorem* præſtrinxerit; qui ſi Ipſe *Elucidatorem* agere ſuarum Meditationum, in iis quæ aſſequi non poſſumus, dignetur, & ſtudioſæ *Juventuti* conſulet, & *Eccleſiam* devinciet; & *Orbem Eruditum* demerebitur.

Me quoque, ſi id adjungere liceat, quatenus in hanc arenam nunc detractus ſum, atque compulſus, ingenti beneficio mactabit: quod ſic graviſſima parte Curarum mearum, in *Diſſertatione Viri Clariſſimi* refellenda, uno forte momento levares.

Fit tranſitus ad Caput Diſſer- LXIV. Hoc omnibus votis expetens, & expectans, non perſequar quæ *paragraphis* V. VI. VII. VIII. *Capitis primi* fundamentis modo tactis ſuperſtructa. Non diſcutiam quoque nunc, quæ *Capite ſecundo* fuſius diſ-

differuntur de *Lingua primæva poſtdiluviana*, quæ fuerit tatio-
Dialectus primævæ Adamiticæ; deque *Ejus propagatione* nis II.
per *varias* ac *multiplices Dialectos*. Uno verbo nunc dixiſſe ſatis habebo, tam magis a vera via aberrari, quam magis gradus granditur, & ſtrenue pergitur, ubi ſemel principia male ſumta. Tale eſt, præter ea, quæ jam viſa, Exordium Capitis ſecundi, quod *Altera Editio* acceſſionibus quibuſdam locupletat: *pag.* 152. „ *Dialectus* illa quæ
„ *ex primæva Adami Lingua* ad *Noachi per lineam ſanctam*
„ *propagata* fuit *domum*: atque inde *majorem cum primæva*
„ *Adami Lingua* retinuit *convenientiam*; quam *reliquæ Dia-*
„ *lecti antediluvianæ*: ac omnium *Linguarum* & *Dialecto-*
„ *rum Poſtdiluvianarum* facta eſt mater.

Nihil, nihil in hiſce firmo ſtat talo. Cuncta ſabulo fluxiora.

In *prima Editione* erat; „ *Dialectus* illa, quæ *ex primæva*
„ *Adami Lingua* ad *Noachi propagata* fuit *domum*, atque om-
„ nium *Linguarum* & *Dialectorum Poſtdiluvianarum* facta
„ eſt mater.

Ad hæc quæſtiunculas movere liceat. *Quæſti-*

1. Primum rogo, quid ſibi velit inſertio illa, „ *per li-* *uncula*
„ *neam ſanctam.* „ *Prima.*

2. Secundo ſcire aveo, quorſum tendat alterum illud *Secun-*
fulmentum: „ *atque inde* MAJOREM *cum primæva Ada-* *da.*
„ *mi Lingua retinuit* CONVENIENTIAM, *quam* RE-
„ LIQUÆ DIALECTI *Antediluvianæ.*„

Temere non eſſe, quivis ſentit. Odoror quoque, quorſum hæc ferantur. Sed hoc nondum ago. In præſenti

3. reſciſcere geſtirem, undenam conſtare potuerit Cl. *Tertia.*
Diſſertatori illa *major Convenientia Dialecti*, *ad Noachum per ſanctam Lineam propagatæ*, *cum primæva Adami lingua*, præ *reliquis Dialectis Antediluvianis*.

Digitized by Google

QUÆSTIO FACTI. Qui tam ſancte conteſtatus eſt, ſe in *Quæſtionibus facti*, qualis haud dubie hæc, *nihil audere adfirmare*; is nunc ita *adfirmat*, ac ſi rem oculis, manibus, ſenſu omni, contrectaſſet. Habetne forte Cl. *Diſſertator monumenta* quædam *Antediluviana*? Habetne *teſtimonia Idonea caſtæ*, & *non vitiatæ Antiquitatis?* Sed ridere nolo. Ignoſcat Vir Venerandus, ſi *verba* ipſi *ſua*, adverſus me miſſa, remetiar quam Amiciſſime: ſimulque præveniat quæ inclementior aliquis, & minus amicus, retorquere poſſet.

Caput II. & III. Diſſert. nunc ſeponuntur. LXV. Quid a tali Exordio *Capiti ſecundo* ineſſe poſſit firmamenti, ac roboris, vel me tacente quivis intelligit. Omnia tamen ſuo tempore preſſius revincentur. Oſtendetur quoque *Capitis Tertii*, quod *de Babelica Linguarum Confuſione* inſcriptum, veriſſima confuſio, ac perplexitas.

Quum tamen nihil in his *Capitibus* contineatur, quod ad *Alterum* huncce *Conſpectum ſtatus Controverſiæ*, in quo nos *Altera Editio Diſſertationis* collocavit, neceſſario requiratur, ea omnia nunc quidem circumcido, atque *Excurſum* huncce *Alterum* corripiens, accedo ad *Caput Quartum*, quod eſt, de *Lingua Hebræo-Biblica*. Hæc *Arx* eſt to-*Arx & Sedes Controverſiæ in Capite IV.* tius *Cauſæ*. Huc aggeſtum quicquid erat armorum telorumque. Huc convecta omnia undique præſidia: præſertim illa, quæ ſi jam a *prima Editione* abfuiſſent, cum *Sapientiæ*, & *gravitati*; tum *Dignitati*, & *auctoritati*; tum *Juſtitiæ* & *moderationi*; tum *Veritati* & *Religioni* melius conſuluiſſet Cl. *Theologus*.

Tanto magis & ſtupeo, & vero *Caritatis* motu, adfectuque in ſumme Venerandum Virum, indoleſco; quod omnia hæc in *Altera Editione* non tantum adeſſe videam, ſed etiam animoſius adhuc intendi; quantumvis per *Geminam Notam* huic ipſi *Capiti* ſubnexam, omnia ſponte collabaſcant: velut moles, quæ ſubductis fulcris ſuopte pondere defeſſa ſidit.

SEC-

Digitized by Google

SECTIUNCULA SECUNDA

exhibens

S T R I C T U R A S

A D

Caput Quartum

Diſſertationis de Lingua primæva.

Quod inſcriptum:

DE LINGUA HEBRÆO - BIBLICA.

LXVI. INcredibile dictu eſt, quantum ſibi Cl. *Diſſerta- tor* in hoc *Capite Quarto Secundæ Editionis* augendo, mutando, vehementius adhuc inſtando, cuncta ſusque deque miſcendo, & perpetuis repugnantiis implicando, permiſerit. *Incredibilis licentia.*

Dolenter dicam, ſed tamen Vere, quia *Veritas*, & *Defenſio Ejus publica* loqui tandem jubent. Vere *ergo dicam*, in *prima Editione* nihil vidi, quod cohæreret, aut cum ullis *principiis Philologiæ*, *Philoſophiæ*, ac *Theologiæ*, conſiſteret: ſed in *Altera* hacce nihil nunc video, quod non ultro diſſiliat, atque ſemet deſtruat. *Judicium de* prima & ſecunda Editione.

Ut

Ut hoc ſtatim omnium oculos, ſenſusque, advertat; ſub conſpectu teneri velim *geminam Notam*, quæ *Excurſum meum primum* a Cl. *Diſſertatore* bene lectum, & intellectum fuiſſe, demonſtrant.

Ferebatur quidem, *extremam Oram Controverſiæ* vix a me tactam: ſed *Notæ* hæ ſatis declarant, ad *Medullam* ipſam penetraſſe vel leviores ictus noſtros: & ſenſiſſe Cl. *Theologum*, quid in *Syſtemate* ipſius *Novicio* infinitis abſurditatibus, & repugnantiis, jugulare poſſem; niſi quantocyus prævertererer, atque prævenirer.

Duæ Theſes Capitales *in* Altera Editione *reformatæ*.

א Ad *Primam* ergo *Theſin* ſuam, LINGUAM HEBRÆAM TOTAM FUISSE DIVINAM; nunc diſertim omnem *interiorem*, & *eſſentialem Sanctitatem* non ab *Hebræa* ſolum, ſed etiam ab *Hebræo-Biblica*, quam vocat, *Lingua*, quod probe notandum, *excluſiſſimam* eſſe voluit, juſſitque; in *Capitaliſſima* illa *Annotatione* quæ *paragr.* XXXII. *pag.* 236. novæ *Editionis* comparet.

ב Ad *Secundam Theſin*, priori intime connexam, & quæ cum ea ſtat, caditve, *Gratis ſupponi*, LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULAM FUISSE; idque ADHUC NUNQUAM PROBATUM; *ac quoque* NUNQUAM BROBARI *poſſe*, prout *Editio prior* habebat; primo cavet Cl. *Diſſertator par.* V. p. 211. ut mutato ipſo *Textu* legeretur, *ac quoque* NUNC NEUTIQUAM PROBARI *poſſe*.

Dein, ac ſi *Læſor* eſſem, non *Læſus*, dicam mihi grandem impingit in *Nota ibid.* quod *negaſſe* dixerim Eum, qui *nec affirmet amplius*, ut olim; *nec* NUNC NEGET, ſed *rem in medio relinquat*, *ſuumque judicium ſuſpendat*. &c. &c.

Subtile Velamentum.

Scilicet nude, & ſimpliciter, ad modum aliquem, & modeſtiam, caſtigaſſe hoc pacto *Vehementiſſimam dubitationem prioris Editionis*, quæ a *Negatione* parum, aut nihil, dif-

differre judicabatur, ab omnibus, parum *decentiæ* ac *dignitatis*, habiturum fuiſſe videtur Cl. *Theologo.*

Specioſius Ei viſum, prætextu calumniæ a me factæ, hoc quicquid eſt retractatiunculæ, umbra defenſionis, ac depulſionis honeſtæ, velaſſe.

Titulus Hebræo-Biblicum oculis cæcandis adhibetur.

LXVII. His jam *duabus Theſibus* ita ab ipſo *Diſſertatore* noſtro temperatis, atque remollitis, an *Corpus Diſſertationis* concinat diſcutiendum nobis reſtat.

Ad inſcriptionem ipſam *Capitis Quarti*, quæ eſt, *de Lingua Hebræo-Biblica*, obiter obſervo: mirum cui videri poſſe, cur *Annotatio* iſta, qua ratio redditur hujus *noviciæ appellationis*, ad finem *Capitis Quarti*, non in *Frontiſpicio* potius compareat, ubi commodiorem ſedem tenuiſſet.

Alia obſervatio non parvi momenti.

Dicemusne, *Ordinis* rationem non habitam? Immo vero *Ordo* vel maxime nunc exigebat, ne id, quod *Univerſum Caput* uno ictu diruit, in *Fronte* ſtatim conſpiceretur: quod tunc vel imperitiſſimi quique hiare cuncta, & nutare, confeſtim perſentire debuiſſent.

Ceterum de iſta appellatione *Linguæ Hebræo-Biblicæ*; qua Cl. *Drieſſenius* tam graviter quoque abuſus: quaque nunc oculi præſtinguuntur indoctæ multitudinis, ne caliginem hinc ſibi offuſam perrumpere queant, alias latius differetur.

Strictura ad Cap. IV. par. I.

LXVIII. In *materiam* ipſam *Capitis Quarti* deſcendenti, quam ad *Editionem Alteram* excerpam, ſtatim *paragrapho I.* occurrunt *Periodi* aliæ aliis complicatiores.

Prima Strictura.

א *Prima Periodus* ſic habet „ *Linguam Hebræo-Biblicam* „ eandem eſſe *cum Lingua primæva antediluviana*, atque „ *omnium* omnino *Dialectorum* eſſe *matrem*, tantum non om- „ nium Hebræorum Grammaticorum eſt opinio." Perple- „ xabilia omnia, & intricandæ *Quæſtioni.*

Non *Grammatici* tantum *Hebræi* aſſerunt *priorem* partem,

Digitized by Google

tem, *Linguam Hebræam a Lingua Adami* quoad *Subſtantiam* nihil differre, ſed ejus *Genuinam* eſſe *Propaginem*; verum etiam quicquid eſt *Theologorum* & *Philologorum Chriſtianorum*, a perpaucis ſi diſceſſeris, id calculo ſuo confirmant. *Poſterior pars* a ſenſu plerorumque *Hebræorum* ita diſſidet, ut quod maxime. Sed in hæc jam me non immitto: ut nec in abuſum vocabuli *Dialectorum*; quo Cl. *Diſſertator* contra omnem rationem *Philologiæ*, & *Critices*, intelligit, quicquid eſt *Linguarum* ullis in terris.

Secunda. ב. Sequitur. " Exiſtimat Eruditiſſ. *Bochartus*, cujus „ auctoritas apud Hebraice doctos quam plurimum va„ let, id ſatis vel inde probari, quod *nomina propria* „ hominum & locorum, in *Libro Geneſeos* occurrentia, „ ſint quantum ad normam, & analogiam ſuam, *He-* „ *braicæ Originis* ". Mitto hiatum: & rogo, cur *Bochartus* hic nobis inducatur in ſententia, quam Auctoritas tantum non omnium *Theologorum*, ac *Philologorum*, ſanxit: atque jam longe ante *Bochartum* adſtructam dedit; & illo, & aliis bene multis argumentis?

Tertia. ג. Nimirum ſpecioſus aliquis gradus ſtruendus erat, ut veniretur ad pulchrum hocce, quod *Medullam* conſtituit totius *Diſſertationis*, & *centrum* omnium ejus oberrationum. Sic ergo pergitur. " Ad quod *Bocharti* argu„ mentum videtur & alterum addi poſſe argumentum, „ petitum ex eo, quod, quemadmodum *Primæva Ada-* „ *mi Lingua*, atque *ejus uſus in Adamo*, *Divinæ* plane „ *Originis* atque *auctoritatis* fuit: ſic quoque *Lingua He-* „ *bræo-Biblica* ejuſdem *Divinæ Originis* & *auctoritatis* in „ *Prophetis Dei Amanuenſibus*, fuerit. "

Non eo eſcendiſſet *Bochartus* Eruditæ gloriæ, quo eſcendit, ſi *Linguam Hebræam eandem* eſſe, quoad *ſubſtantiam*, cum *Primæva* illa *Adami*, ſic pervincere, in animum induxiſſet.

Eſt

Eſt hæc *Kabbaliſtica* plane ut *imaginatio*, ſic *argumentatio* Kabbaliſtarum ſomnia.

Nota res iis, qui ad illorum hominum Scripta, infinitæ inanitatis referta, acceſſere.

Hi ut *interiorem Sanctitatem*, & *Lucem Eſſentialem*, ac *Divinam*, in *Lingua Hebræa* reſediſſe crepant, ita eaſdem dotes *Divinas Linguæ Primævæ* inſeminatas fuiſſe jactitant. Cur ſe iis adhuc ſociat Cl. *Theologus*; a quibus ſeſe disjunctiſſimum nunc voluit?

Cur *interiorem* & *eſſentialem* illam *Sanctitatem Linguæ Hebrææ* hic videtur ſaltem retinere, & defendere; quam ad *paragr.* XXXI. palam nobiſcum abjiciet, atque explodet?

Eſt aliud adhuc, quod ut alias, ſic nunc quoque non ſine novo iterum dolore, ac ſtupore, in hac *periodo tertia* deprehendo, vere *Linguam Primævam Adami* Cl. *Theologo* ut *inſpiratam*; & *Supernaturali inſtinctu jugiter infuſam*, obverſari. De eo ſupra quodammodo ambigere diſcupiebam. Nunc non licet amplius: quum nihil hiſce expreſſius dari queat.

ד. Quid, quod diligenter cautum, ne hoc ipſum quemquam fugere poſſet? Sic enim vel continuatur, vel reſumitur, " Ut enim *Primæva Adami Lingua Divinæ* fuit *Quarta ſtrictura.*
„ *Originis* & *Auctoritatis* (conf. hujus *Diſſert. Cap.* I. *pag.*
„ 148.) ſic quoque *Lingua Hebræo-Biblica* in Librorum
„ Sacrorum *Scriptoribus Divinæ* fuit, atque adhucdum
„ eſt, *Originis* & *auctoritatis.*

Nil confuſius. Illud *Divinæ Originis* & *Auctoritatis* nimium quantum aciem Cl. *Diſſertatoris* ludit, ac velut præſtigiis quibuſdam diſtinet.

ה. Et tamen tanquam liquidæ veritati, ſcilicet! Sigillum hoc appenditur. " Certum enim atque indubitatum *Quinta.*
„ eſt, *Viros* DEI *Sanctos*, qui Sacra in Sacris Bibliis

 „ con-

„ conſcripſerunt Oracula, *a Spiritu Sancto* non minus ac-
„ cepiſſe *ipſa illa verba*, quibus Dei mentem, non tan-
„ tum quantum ad τὸ τι, ſed etiam quantum ad τὸ πῶς
„ expreſſerunt. Confer *Matt.* X: 19, 20. cum *Act.* II:
„ 4. Add. 2 *Sam.* XXIII: 2, 3. & *Rom.* XV. 18, 19.
„ NB. 1 *Cor.* II: 13. "

Magnum NOTA BENE. Scias, poſtremum hocce NB. cum loco adjecto, *Emblema* eſſe *Editionis Auctioris*, & *Emendatioris.* Proh abuſionem! Si ita pergat Cl. *Diſſertator*, video, non *Philologice* ſolum, ſed etiam *Theologice* mihi cum Ipſo congrediendum fore: ad indecoram torſionem omnium horum locorum enudandam.

Acies hæc jam refutata, & retuſa in Vindic. *adverſus* Theologum Groninganum. In præſenti defungar *Reſponſione*, qua ſimilem concluſionem *Theologi Groningani* jam confutavi *pag.* 195. *Vindic. Opuſc. de Defect.* Objecerat ille, pro ſua in his peritia, & perſpicacia, " LINGUAM BIBLICAM PER
„ SE *eſſe* PLENAM, *in eoque* SINGULAREM, *quod*
„ OMNIS *ejus* CONSTRUCTIO *ſit* DIVINA *eun-*
„ *dem habens Auctorem* SPIRITUM SANCTUM. "
Ad hæc repoſui. " *Aquilinus enim vero volatus, qua ſu-*
„ *pra nubes ſcandens* Cl. Diſſertator, (*Drieſſenius nempe*)
„ *ſeſe terris oculiſque ſimul noſtris eripit.* SPIRITUM
„ SANCTUM AUCTOREM *eſſe* VERBI & *nos tene-*
„ *mus.* OMNEM *ejus* CONSTRUCTIONEM *eſſe*
„ DIVINAM, *concedo*; *ſi per* CONSTRUCTIONEM
„ *intelligitur* CONSCRIPTIO, *qua Sacri Scriptores*, *ſi-*
„ *ve bona ſive mala*, *narraturi*; & *ſive bonorum*, *ſive*
„ *malorum hominum dicta reddituri*, *nihil conſignarunt*, *niſi*
„ SPIRITU SANCTO AUCTORE; *ita tamen ut*
„ *idem ille* SPIRITUS *cuique* SCRIPTORI SACRO
„ SUUM *relinqueret* GENIUM; SUUM *dicendi* CHA-
„ RACTEREM; SUUMQUE *adeo* STILUM HU-
„ MANUM: *in* LINGUA *non utique* PER SE DI-
„ VI-

Digitized by Google

„ VINA *ſed* HUMANA, & HOMINIBUS HE-
„ BRÆIS VERNACULA. *Qui hoc negaret*, FUN-
„ DAMENTA *ipſa* REVELATIONIS & VERI-
„ TATIS *in periculum adduceret: atque* APERTO *ſeſe*
„ FANATISMO *implicaret.* Cl. DRIESSENIUM *huc*
„ *Progreſſum, quum ait, quæ* LINGUA PER SE PLE-
„ NA *eſt, non crediderim: Sed exiſtimarem Eum nihil aliud*
„ *voluiſſe quam, voces quæ in Bibliis uſurpantur, ſufficere*
„ *ad* DIVINISSIMUM ARGUMENTUM *eorundem*
„ *nobis inſinuandum. Atqui eodem jure* LINGUA GRÆ-
„ CA N. T. *dici poteſt*, & *debet*, PER SE PLE-
„ NA."

Apparet, ex una quaſi Pharetra depromtas ſagittas, quibus me figere conantur *Theologus Groninganus*, & *Leidanus*.

Apparet, quoque, vel abjiciendum iis eſſe genus hoc telorum; vel publice agnoſcendum FANATISMUM KABBALISTICUM. Quid Cl. *Drieſſenius* facturus ſit, expecto. Eum, poſt infelicem ſucceſſum priorum Conaminum, iſtoc jam in luto hærere, ipſemet annunciare cœpit. *Sociæ dextræ, ſocia tela, ſocii ſenſus, duorum* Theologorum

Cl. *Conſcriptor* de *Ling. Primæva Kabbaliſtis* quidem nuncium remittit, eoſque res ſuas ſibi habere jubet, in *Nota* ad *Finem Capitis* comparitura; ſed tamen in hoc *primo paragrapho* ita ſcribit, ita inſtat, ita concludit, ac ſi purus putus eſſet *Kabbaliſtes.* Hæc conciliare non eſt meum.

LXIX. His ita belliſſime inchoatis intertexitur magna inſertio, quæ *paragraphum II.* conſtituit *novæ Editionis.* Ea complicationem *paragraphi I.* ſic intricat, & intorquet, ut nil ſimile unquam mihi quidem occurrerit. Verba ſic ſonant. " Ad quod ſi porro addamus, *vero admodum ſi-*
„ *mile* eſſe, Deum in ſuis patriarcharum, inde ab Adamo Paragraphus II. *ſive inſertio, & acceſſio, inſignita*

Edit. Alter. *omnia mea officia ultro eludens.*

„ uſque ad Moſen (qui primus inter Sanctos viros, in-
„ ſtinctu Sp. S. extraordinariam divinæ ſapientiæ, & vo-
„ luntatis de via ſalutis patefactionem hac *Lingua Hebræo-*
„ *Biblica* ſcripto comprehendere coepit) viſitationibus, hac
„ *eadem Hebræa* ſuam explicaſſe mentem; ac *patriarchas*
„ *Antediluvianos* & *poſtdiluvianos* ea, quæ ex ore dei ac-
„ ceperant, *eadem illa*, qua ea ex ore dei audiverant *Lin-*
„ *gua*, *in domeſticos ſuos* retuliſſe *Commentarios*, ex quibus
„ Moſes, moderante eum Sp. S. ea, quæ in *Geneſi* tradidit,
„ hauſit (hujusmodi *Commentarius domeſticus* fuiſſe quoque
„ videtur *Jobi Liber* uſque ad Ezekielis, apud quem
„ DEUS eum una cum Noacho, & Daniele, *cap.* XIV:
„ 14. 20. laudavit, tempora: unde inter ſacros Libros
„ locum videtur invenire cœpiſſe; ac ab Ezra, & ſyna-
„ goga Magna in Canonem redactus) poſſemus quoque
„ inde argumentum petere *admodum probabile* pro *Linguæ*
„ *Hebræo-Biblicæ* cum *primæva Adami Lingua conveni-*
„ *entia.*'

Jam non eſt quod amplius Cl. *Diſſertatorem* adverſus ſemet ſuſtinere, aut ſuſpicionem *Fanatiſmi* ab Ipſo arcere coner. Eludit hæc *nova & luculenta acceſſio* omnem meam operam, officiaque in *Excurſu Primo* impenſa deridet.

Eludit iterum in Cabbaliſtarum caſtra concedens.

1. In Kabbaliſtarum caſtra planiſſime tranſit Cl. noſter *Theologus*; ſibique imaginatur *Linguam* vere & proprie *Divinam*; qua DEUS, propter *Auguſtas* videlicet *virtutes*, & *qualitates* illius, uti ſoleat, uſuſque ſit ſemper in *ſuis patriarcharum viſitationibus*, inde ab *Adamo* uſque ad Moſen.

2. Hac LINGUA vere DIVINA conſignatos cenſet a *patriarchis* tam *Antediluvianis* quam *poſtdiluvianus*, *domeſticos Commentarios*: prout EAM LINGUAM EX ORE DEI *acceperant*, *atque audiverant*.

3. Ad hanc *Linguam Divinam* quum Moſi nullus *Naturalis* ac-

acceſſus pateret, *Spiritus Sanctus* Ei prælucere debuit, ad intelligentiam *Commentariorum* illorum *Domeſticorum* : ut inde, quæ in *Geneſi* tradenda erant, hauriret.

4. Hujuſmodi *Commentarius Domeſticus* etiam fuiſſe videtur Cl. *Theologo* illud vetuſtiſſimum, monumentum *Libri Jobi*; qui non conſcriptus ſit *Lingua Jobo* & *Amicis* ejus *vernacula*; non *Dialecto* aliqua *Humana*, atque ut Ego adſtruere ſuſtinui, illorum temporum *Arabica*: ſed *Lingua ſupra-humana*, *divina*, *ſingulariſſima illa*, pro qua tanquam pro *Aris focisque* depugnat Cl. *Diſſertator*, quum ſit *Ararum focorumque* noſtrorum deſertio.

5. Mitto *temporis* illam *deſignationem*, qua *Commentarius* hicce *rerum Jobearum*, *Domeſticus*, dicitur manſiſſe *uſque ad tempeſtatem Ezekielis*; ad cujus laudationem, & commendationem *Publicus* demum factus ſit, *Canonique* inſertus. Nempe hæc non pertinent ad *Enthuſiaſmum Kabbaliſticum*, ſed ad *Philologicam* noſtram *Quæſtionem* de *Origine*, & *Antiquitate Dialecti Arabicæ*. Gratularer Cl. *Diſſertatori* ſubtiliſſimam inventionem, qua palmarium *Cauſæ* meæ Argumentum tam dextre in *parentheſi*, quæ longe aliud agere videtur, ſubpernat, ſi de gloria *Sophiſticationis* ad *Veritatem* implicandam, & obſcurandam, in Certamen deſcendiſſemus. Sed non abibo nunc longius. Tantum obſervare liceat, Cl. *Theologum* non eundem perpetuo circa *Quæſtiones facti* rigorem exercere. *Strata-gema inſignius.* QUÆSTIO FACTI. *Strictura ad paragr. III.*

LXX. Ad *paragraphum III. novæ Editionis*, qui partem mediam conſtituit *paragr. I. primo Edit.* paucula etiam monebo. Sic habet. " Sed hoc *Bocharti*; & quæ addidi
„ *argumenta* arguunt quidem aliquam vel *ſimilitudinem*,
„ vel *convenientiam* inveniri poſſe, *primævam* illam *ante-*
„ *diluvianam*, *atque Adamiticam* in primis, inter, ac inter
„ *Hebræo-Biblicam linguam*, verum *identitas* harum lingua-
„ rum, de qua ſola hic diſputamus, inde feliciter ſatis

„ *neu-*

Digitized by Google

„ *neutiquam probari poſſe* videtur. Linguæ enim *Adamiticæ*,
„ atque *antediluvianæ* prorſus *nulla* extant monumenta;
„ quare de ea hic (verſamur enim in *Quæſtione Facti*) ni-
„ hil certi definire poſſumus. Sed *Linguæ Hebræo-Biblicæ*
„ admodum multa in voluminibus ſacris proſtant docu-
„ menta; ex quibus certiſſimas de *illa Hebræo-Biblica*
„ lingua dare poſſumus definitiones."

Prima. 1. Quid Cl. *Theologus* per *identitatem* intelligat explanari vellem in Notula. *Convenientia* & *ſimilitudo* haud dubie ſumma. Tam certo *Lingua Hebræa*, cum *Arabica*, *Syra*, *Chaldæa*, ex *Lingua primæva Adami*, quæ *Antediluviana* ac *Poſtdiluviana*, una ac eadem, uſque ad *Linguarum* permanſit *Diviſionem*, naturali curſu fluxuque *Origine* ſuam *Vernaculam* traxere, unamque *ſtirpem*, unam tenent *Matrem primigeniam*; quam certo *quatuor Græcæ Dialecti* unam *ſtirpem*, *Matremque*, *ſororia conſanguinitate* amplectuntur. Apparet *identitatem* ne a nobis quidem comprobari; quam qui adverſus *Syſtema* noſtrum urguent, præjudicata opinione ſemet liberabunt, ſi *Regiam Viam* inſpicere volent *pag.* 51. 53.

Secunda. 2. Explicationis quoque eget illud, "*prorſus nulla extare monumenta Linguæ Adamiticæ*, atque *antediluvianæ*"

a. Verum eſt, ſi *monumenta* ſignent *Libros*. Sine iis tamen Cl. *Diſſertator*, ſuperiore quodam ingenii niſu detegere potuit tot *Dialectos Antediluvianas*, tam *varias*, tamque *multiplices*, de quibus *Caput primum* diſſertabat.

b. Non verum eſt; ſi *monumenta* deſignent *documenta*, *reliquias*, *veſtigia*, *notas quaſdam Characteriſticas*, & *formas nominum*, atque *verborum*, ex quibus de *Corpore* reliquo *Linguæ* judicium ferri queat.

Tertia. 3. Vereor ne patientia publica abutatur Cl. *Diſſertator*, quum ſic finit. " Sed *Linguæ Hebræo-Biblicæ* admodum
„ multa in Voluminibus Sacris proſtant *documenta*, ex
„ quibus *certiſſimas* de *illa Hebræo-Biblica Lingua* dare
„ poſſumus *definitiones*" Of-

Digitized by Google

Offuciæ meræ.

a. Si dixiſſet, *Linguæ Hebrææ admodum multa proſtant monumenta*; pro *Libris*; palpabilis fuiſſet & intentio, & vanitas: nos enim, *Dialectorum veterum neceſſitatem* vel maxime evincimus ex eo, quod *Unius* tantum *Codicis copia* in *Veteri Lingua Hebræa* ſuperſit.

b. Dictum itaque. *Linguæ Hebræo-Biblicæ admodum multa proſtant documenta*. Dic Cl. *Diſſertator* eodem modo, ac jure, *Linguæ Græco-Biblicæ admodum multa proſtant documenta*.

c. Ubi ergo? *in Sacris Voluminibus*. Hoc jam eſt *ludificari* homines.

d. Reſciſcere denique geſtirem, quænam ſint *illæ certiſſimæ definitiones Linguæ Hebræo-Biblicæ*.

/. Eſtne *Grammatica abſoluta*, omnibuſque numeris completa.

//. Eſtne *Syntaxis* omni ex parte rotundata.

///. Eſtne *Lexicon* omnes *ſecundarias* non ſolum, ſed & *primarias ſignificationes Radicum* claro in die collocans?

LXXI. Parcus ero ad *paragraphum* IV. qui in *Edit. prima* finis eſt I. *parag*. " Num vero cum *primæva poſt-* *Ad paragr. IV. Strictura.*
„ *diluviana lingua* majorem habuerit convenientiam *lingua*
„ *Hebræo-Biblica*, quam cum *primæva antediluviana* ha-
„ buerit lingua, plane incertum eſt. Vidimus enim p. 180-
„ 183. *Aramæam Veterem linguam*, eam antiquis illis
„ temporibus fuiſſe *Linguæ poſtdiluvianæ Dialectum*, per
„ quam *lingua primæva poſtdiluvianna* progreſſu temporis
„ tantum non omnes ſuas peperit, & propagavit *Diale-*
„ *ctos*.

Perplexabiliter omnia. Scopus, *Linguam Hebræo-Biblicam* facere NON VERNACULAM. Hinc confidenter nunc aſſumtum, quod dubitanter tantum inſinuatum erat in *Comment. Belg. p. 272. Linguam Aramæam Veterem* habendam eſſe pro *prima ac communi matre omnium Dia-*

Digitized by Google

lectorum. Quæ *pag.* 180 — 183. *Diſſert*: præmiſſa, eodem aurigantur. Magnam in his omnibus regnare fruſtrationem Legentium, ſuo tempore pateſcet. Nunc quorſum contortulæ hæ lineæ collineent tamen; obiter modo indicandum duxi.

Ad paragr. V. ejuſque laqueos & nexus intricatos proceditur.

LXXII. Accedit hinc Cl, *Diſſertator paragr.* V. ad alteram illam *Theſin*, quam *Syſtemati* ſuo ſuſtentando introduxerat, quæque cum priore illa, *Linguam Hebræo-Biblicam*, qua *Linguam*, *totam Divinam fuiſſe*, indivulſo nexu cohæret.

Nempe qui *Linguam* aliquam contemplatur *in abſtracto*, ut *Terris*, & *Terreſtri uſu*, *commercioque*, vel *Sanctiorem Dignioremque*, vel *ſublimiorem*, & *Divinis ſuis dotibus Eminentiorem*, is eo ipſo jam tacitus ſecum conſtituit, atque decernit; niſi repugnantia ſimul in mente ſua admittere poſſit; talem *Linguam* nulli *terræ*, nulli *genti* fuiſſe *Vernaculam*. Hoc tamen aſſertum quum non eodem *ſplendore oculos* imperitos *perſtringere* poſſet, atque deludere, quo prius illud, *Lingua Hebræo-Biblica tota Divinæ* plane *Originis* atque *Auctoritatis*: ſed contra haberet aliquid *crudum*, *temerarium*, *præceps*, a quo nemo non abhorreret, atque reſiliret ultro: ſingulari quadam methodo, & dexteritate, opus fuit, ad animos pedetentim occupandos; atque in *Opinionis* tam *abſurdæ*, *inauditæque*, aliquam communionem implicandos.

Res altius repetitur ex Commentar. Belg. de Chriſti ortu e Davide.

LXXIII. Operæ pretium fuerit oculis omnium ſubjeciſſe ſubtilitatem illam, artificemque manum, qua in *Commentario Belgico de Chriſti ortu e Davide* p. 270. &c. tela hæc texi cœpit. Quum Cl. *Diſſertator*, in *Notula* huic *Paragrapho* attexta, haud memor fuiſſe videatur earum, quæ ibi ipſiuſmet Calamo conſignata publice, Veritas, & Juſtitia, imperant ipſius *Viri* verba in medium ferre. Adverſus Clariſſ. *de Dieu* itaque, qui *Originationem* vocabuli

שילה

Digitized by Google

שילה ex *Arabum* tentaverat *Dialecto* : id eſt , adverſus *Syſtema* omnium eorum , qui *Dialectis Orientalibus* juſtam tribuunt auctoritatem ; ita inſurgit, atque in me *Clandeſtinam Excurſionem* facere inſtituit Cl. *Theologus*.

Clypeorum adverſus nos, prima ſuſceptio; & aciei formidoloſæ inſtructio.

,, *In hac*
,, *Explicatione* , *&* *Declaratione Vocis* שילה Schiloh *aliquid*
,, *ſupponitur quod* NUNQUAM PROBATUM *eſt* ; *&*
,, NUNQUAM PROBARI *poteſt*. (**En nooyt beweſen**
,, **kan worden.**) *Eſtque hoc*, *quod* LINGUA HEBRÆA,
,, *quam* IN BIBLIIS *invenimus*, *unquam* DIALECTUS *vel*
,, VERNACULA LINGUA *fuerit*. (**Land- of Volks-**
,, **Taal**) *quæ in quotidiano uſu* , *commercioque* , *aliqua in*
,, *gente uſurpata fuerit* : *quodque* HÆC LINGUA, *lapſu*
,, *temporum* , *in deſuetudinem adducta apud talem gentem*,
,, *nihil de ea reliquum habeamus* , *quam quædam* FRAG-
,, MENTA , (**Brokken**) *&* *valde* DEFECTUOSAS
,, RELIQUIAS *in Libris V. T. Per quod Damnum* VE-
,, TUS LINGUA HEBRÆA *non ſolum* DIVITIAS
,, *ſuas amiſerit*; *Verum etiam* VOCABULA *quæ in Bibliis*
,, RELIQUA, VALDE OBSCURA, *&* ININTEL-
,, LIGIBILIA *facta ſint*. (**Maar ook de in de Heilige**
,, **Schrift overgeblevene Woorden** zeer Duiſter **en** on-
,, verſtaenbaer **geworden zyn.**) *Sic ut neceſſe ſit* MA-
,, GNUM *hunc* DEFECTUM LINGUÆ HEBRÆO-
,, BIBLICÆ , *&* OBSCURITATEM ISTAM VO-
,, CABULORUM *in Bibliis* RELIQUORUM *reſarcire ex*
,, *aliis* LINGUIS ORIENTALIBUS , *&* *maxime ex*
,, ARABICA , *utpote Vocabulorum prædivite*.

,, **Invoegen men dat** grote gebrek **van het** Bybels-
,, Hebreeuws, **en** die Duiſterheit **van de in de Bybel**
,, **overgeblevene Woorden / wel dient te verhelpen**
,, uit andere Ooſterſche Taalen , en wel meeſt de Ara-
,, biſche , **als welke ſeer ryk van woorden is.**

LXXIV. Hactenus decurrit *paragraphus* LIV. *Capitis* XVI.

Clarigatio.

XVI. *Commentarii* illius *Belgici*, quo poſt ſolemnem Clarigationem, haſta miſſa, *juſtum piumque Bellum* ſcilicet, indicitur omnibus, qui pro *Dialectis* pugnarunt, pugnant, pugnabunt: atque, ut bellantibus in more, Cauſæ quoque armorum in nos captorum, atque ulterius ſuſcipiendorum, promulgantur.

Nihil Criminoſius, invidioſiuſque, unquam viſum.

LXXIV. Forte nunquam quicquam par, aut ſecundum, viſum. Omnia comparata ad *invidiam*, cum *indignatione*, excitandam tum contra *Mortuos*, gloria, & laude perenni, in *Eccleſia* florentes, ac florituros, quales *Erpenii Goliique* noſtri, *Orientalium Linguarum* ſtatores, cum *Dieuis*, *Bochartis*, *Hottingeris*, *Seldenis*, *Waltonis*, *Caſtellis*, *Pocockiis*: quin & *Merceris Buxtorffiis*, *Coccejis*, *Altingiis*; nec non *Schindleris*, *Ludolfis*, *Pfeifferis*, *Opitiis*, *Noldiis*, *Danziis*: ac noviſſime *Relandis* &c. &c. &c. tum contra *vivos* qui *Linguas Orientales* in *Academiis*, *Gymnaſiiſque*, ubi *purioris Doctrinæ Candelabrum* lucet, cum honore, & dignitate profitentur; earumque & *Neceſſitatem*, & *utilitatem*, Ore, Scriptiſque, commendant.

His omnibus, quin in univerſum cunctis tum *Commentatoribus*, tum *Interpretibus ſacrarum ſcripturarum*, atque integerrimae famæ *Theologis*, qui nobiſcum agnoſcunt *Linguam Hebræam inter Hebræos*, inde a Condita gente, uſque ad Captivitatem *Babylonicam*, quin & ultra, vernaculam viguiſſe; ac propterea ultro confitentur, magnam, atque adeo maximam partem *veteris Linguæ Hebrææ* deperditam eſſe, & nunc nihil niſi *unum* illum *Codicem Vet. Teſt.* ſuperſtitare de ampliſſimo olim corpore *Dialecti:* His inquam omnibus una eademque dica impingitur; quaſi Majeſtatem ſacri Codicis *Hebræi* minuerent, ſi *totam Linguam Hebræam*, in omni ſuo ambitu, intra arctos illos fines contineri, *Repugnantiæ* & *Abſurditatis* exiſtiment cumulum; ac propterea *opem Dialectorum* comiter venerentur.

Non

Digitized by Google

Non patitur hoc amplius Cl. *Diſſertator* noſter, atque ſatis criminoſe, accuſatorieque, eos inceſſit. *Evolutio per partes.*

1. Quod aliquid ſupponant, cujus *probatio* NUNQUAM *data*, NUNQUAM *danda*. *Primo.*

2. Quod FRAGMENTA tantum, (**Brokken**) & DEFECTUOSAS RELIQUIAS *Linguæ Hebrææ* ſupereſſe dictitent, in *Libris Vet. Teſtamenti*: quaſi *ſacratiſſimum Codicem* traducerent ſcilicet! pro *membris disjectis*, & *ſcopis diſſolutis*, quem tamen ut *Cæleſtium Veritatum Completiſſimum*, pro *Oeconomia* veteri, *ſyntagma* mecum venerantur, atque adorant. *Secundo.*

3. Quod *amiſſis Divitiis Veteribus*, *vocabula in Bibliis reliqua* (**de in de Heilige Schrift overgeblevene Woorden**) pronuncient *valde obſcura* & *inintelligibilia*. *Tertio.*

4. Quod *magnum* iſtum *Defectum Hebraïſmi Biblici*, & *Obſcuritatem* illam *Vocabulorum in Bibliis reliquorum*, (**dat** groote gebrek **van** het Bybels-Hebreews, **en** die Duiſterheid **van de in den Bybel overgeblevene Woorden**) *ëx aliis Linguis* Orientalibus, & præſertim prædivite *Arabica*, farciendum contendant. *Quarto.*

LXXV. Apparet omnem vim, & ſubtilitatem, *Dialecticæ* adhibitam, ad *Cauſam Lucidiſſimam Veritatis* obſcurandam, & odioſis coloribus infuſcandam. In duobus poſtremis Articulis ſpeciatim obſervandum, illud VALDE OBSCURUM, & ININTELLIGIBILE, VOCABULORUM IN BIBLIIS RELIQUORUM: quaſi mens noſtra foret, *omnia vocabula Biblica* adhuc *eſſe* & manere *inintelligibilia*, atque *obſcuritate pari involuta*: quum ultro agnoſcamus, & centies inculcaverimus, de *Secundariis notionibus Radicum* abunde, & dilucide, exceptis nonnullis, jam conſtare. Cognitionem *Linguæ Hebrææ* inde a *ſeculo Decimo*, ad noſtra uſque tempora, adgubernante Divina providentia, primum per *Rabbinos* Sec. X. XI. XII.; deinde per *Chri-* *Quinta quædam Eſſentia omnium criminationum.*

ſtianos ſeculo XVI. & XVII. feliciſſime reſtitutam, & ſuper Candelabro collocatam. *Deeſſe* tamen & *Deficere* adhuc ſatis multa, quæ *communi induſtria* eorum qui *Veritatem Hebraïcam* venerantur, ad veſtigia Magnorum Virorum ulterius illuminari, ac pleniore in die Collocari queant.

Culmen ſapientiæ, quo ſibi perveniſſe videntur nonnulli. Qui hoc negaret, non tantum indoctiſſimus, ſed etiam arrogantiſſimus mortalis apud omnes audiret. ac proinde fieri plane nequit, ut cui vel mica ſapientiæ eſt, eo uſque ſeſe efferri ſinat; ut *Nihil*, plane *Nihil*, *Sapientiæ* ſuæ *Scripturariæ*, & *Hebraicæ Græcæque* ſuæ *Eruditioni*, in profundiore perveſtigatione Fontium illorum, accedere poſſe glorietur.

Moneo proinde Eos, qui nos, & *Anteceſſores* noſtros, hoc nomine criminantur, quod *Lucem Divina providentia in Eccleſia accenſam creſcere*, & *novis acceſſionibus locupletari* poſſe ac debere, contendamus, ut vel abſtineant talibus *inſinuationibus accuſationibuſque*, a *Spiritu Reformationis* alieniſſimis: vel plenis verbis nobis denuncient, ſe omnis *Sapientiæ Sacro-Sanctæ* tum *Theologicæ*, tum *Philologicæ*; ſecundum Omnes partes, *maximas*, *medioxumas*, *minimas*, ſupremum jam faſtigium tenere: neque vel tantillum iis quae ipſi ſapiunt, ſentiuntque, luminis ſuperaddi poſſe.

Eductio in aciem Pugnatore digna, adverſus Bochartum. LXXVI. Ab hoc crimonoſiſſimo initio *Excurſionis*, quo *ſyſtema* puriſſimum, & ſpeculo nitidius, nec cordate, nec candide, nec docte, ad *Vulgi* indocti cenſuram, & æruginem ſimul, devocatum: ita, tanquam re præclare geſta, pergitur, *paragr.* LV. *pag.* 171. *Comment. Belgici.*

„ *Extra dubium eſt*, *hanc opinationem quod* HEBRÆA „ LINGUA *olim fuerit* DIALECTUS *vel* VERNA„ CULA LINGUA *conſiderandam eſſe tanquam* QUÆ„ STIONEM FACTI. *Quæ neutiquam per ratiocinatiun-*

„ *cu-*

„ *culas, vel conjectatiunculas, quantumvis Docte expolitas,*
„ (*quales ferme omnes conjectationes* BOCHARTI) *ſed tan-*
„ *tum per teſtes exceptione majores, vel teſtimonia quibus con-*
„ *tradici nequeat, ex monumentis caſtæ antiquitatis hauſta,*
„ *probari atque confirmari queat.*"

Subtiliter iterum, & ex intimo artificio diſputandi, animoſque imprudentes implicandi.

1. Certiſſima omnium *Judæorum* ac *Chriſtianorum* ſententia, de qua nunquam ulla dubitatio cuiquam oborta, nedum a quoquam publice mota, appellatur *opinatio* (**voorgeven**) ſive *prætenſio*, ut loquuntur. *Strenuitas prima.*

2. Ea, affectatione profundioris cujuſpiam ſapientiæ, conſideranda dicitur ut *controverſia* ſive *Quæſtio facti.* proh! *Secunda.*

Eodem jure *Quæſtionem facti moveas*; num *Græci Græce* locuti, *Latini Latine?* itemque, num *Syri Syriace*; *Chaldæi Chaldaice*; *Arabes Arabice?*

3. Inſinuatur callidule, nil magnopere ſententiam hanc fulcire, præter *ratiocinatiunculas*, & *conjectatiunculas* BOCHARTI: quum & *Bochartus*, & omnes in Univerſum *Theologi* atque *Philologi*, hoc tam parum probare curaverint, quam *ſolem meridie lucere.* Hanc etiam *facti Quæſtionem* in poſterum appellitet, licebit, cui fuſcatus caligabit oculus, & vel *Negatorem* ſe inferet ultro, vel *Dubitatorem* tandem *perfectiſſimum* ſeſe profitebitur. *Tertia.*

4. Sed ubi quæſo librorum, locorumque, extant illæ *ratiocinatiunculæ*, & *conjectatiunculæ Bocharti*; quibus LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS VERNACULUM *fuiſſe*, enervi conatu pervincere niſus ſit? *Quarta.*

Cur iſtas *Bocharti* probatiunculas rei incertiſſimæ, erudite quidem adornatas, ſed tamen fucoſas, non in medium ſaltem adduxit *Latina Diſſertatio*, ſi *Belgica Commentatio* minus opportuna viſa? Cur contra laudatur jam in *Latino Orbe Bochartus Par. I. Cap.* IV. ſatis honorifice, in *Belgico* contem-

Digitized by Google

temtiſſime habitus: ac ſi vix quicquam ſani, ſolidique, præſtitiſſet?

Bonum tamen factum; quod reflexiunculæ meæ juſtiſſimæ ad Principis in *Sacra Literatura* Viri dignitatem tuendam, eatenus honos ſit habitus.

Strenuitas quinta. 5. *Belgica Scriptio* interim iſtas tum temporis offuciolas requirebat, ut *ratiocinatiunculis* iſtis *Bocharti* pro *Lingua Hebræa Hebræis Vernacula* (quas nunquam fecit) opponerentur *teſtes exceptione majores*, & *teſtimonia quibus contradici nequeat*, *ex antiquitatis caſtiſſimæ monumentis hauſta*; qualia ad tam *nodoſam* & *intricatam* videlicet *Quæſtionem facti* decidendam uſpiam extare, vel dari, manibus pedibuſque obnixus negat nunc, ac pernegat Cl. *Theologus*; poſtquam ultra *annum ſexageſimum quintum ætatis* ſententiam hancce, ut dubio vacuam, cum omnibus *Theologis* & *Philologis* tenuiſſet, indeque *Revelationis veritatem communitam* dediſſet, in *recentiſſima* quoque *Editione Operis de veris Viis Dei Anno* 1730.

Denſioris pulveris concitatio. LXXVII. Eadem *Sophiſticatio* quæ ad *abſurdiſſimam dubitationem* infucandam, atque imperitioribus cum ſpecie percoctæ doctæque prudentiæ oggerendam, dexterrime adhibita, ſic porro eadem dexteritate pertexitur. *Comment. Belg. Lib. I. Cap. XVI. paragr. LVI.* „*Talia documenta genuina Antiquitatis non vitiatæ nuſquam invenire eſt, niſi apud Moſen, & reliquos ſacros Scriptores. Nam quicquid* ALII *de* REBUS TAM VETUSTIS *dicunt*, *hoc uſque eo* FABULIS INVOLUTUM, *ut nihil inde niſi quod* RIDICULUM, & LUDIBRIO DIGNUM, *evolvi atque erui poſſit.*

„*Jam vero ubinam, quæſo, dicit Moſes, ubinam reliqui Scriptores Biblici dicunt*, LINGUAM HEBRÆAM, *quam in Sacris Bibliis invenimus*, USPIAM *vel* UNQUAM DIALECTUM *ſive* VERNACULAM LINGUAM *fuiſſe*?

„*Niſi*

Digitized by Google

„ *Niſi quis autumaret forte hoc ex* 2. *Reg.* XVIII. 26.
„ *& Jeſ.* XXXVI: 11. *poſſe comprobari : ubi Aulici*
„ *Regis Hiskiæ ad Rabſaken , Ducem Copiarum Sanheribi :*
„ *Loquere quæſo , inquiunt , ſervis tuis* SYRIACE ; *nam*
„ *intelligimus probe : neque nos alloquere* JUDAICE , *au-*
„ *diente populo , qui ſuper mœnibus ; quaſi* LINGUA *hæcce*
„ JUDAICA , *qua Rabſakes nunc uſus, fuiſſet* HEBRÆA
„ ILLA , *quæ in Bibliis extat. Atquin ex circumſtantiis lo-*
„ *ci ſatis liquet , hanc* JUDAICAM LINGUAM, *fuiſſe*
„ COMMUNEM DIALECTUM *ſive* VERNACU-
„ LAM *Judæorum* , (**de gemeene** Landtaal **der Joo-**
„ **den**) *quam viliſſima quoque fæx populi , Excubantes ſu-*
„ *per moenibus , tempore Regni Hiskiæ , loquebantur : quæ-*
„ *que lapſu temporis , præſertim poſt Captivitatem Babyloni-*
„ *cam , adeo immutata , ut fere* SYRIACA *facta ſit. Quæ*
„ LINGUA SYRIACA , *tempeſtate Chriſti , & Apoſto-*
„ *lorum , quum Judæos Hieroſolymis , & in Judæa habitan-*
„ *tes , a Judæis inter Ethnicos diſperſis , & Græca ibi Lin-*
„ *gua uſis , ideoque Helleniſtarum nomine affectis , diſcerne-*
„ *ret , in Scriptis N. T.* HEBRAICA *appellatur : quantum-*
„ *vis* VALIDE MULTUM *ab* HEBRÆO *illo , quod*
„ *in Libris Vet. Teſt. habemus , differat.*

LXXVIII. Quanta ſit hujus *Paragraphi* ſubtilitas, quanta vis *inventionis* , & *exornationis* , in eo regnet , nimis longum nunc foret diſcutere. Habebunt cuncta hæcce tanto diſputandi acumine , tanta profundioris Eruditionis copia, digniſſimas vices : quum *Hebræam Linguam Hebræis Vernaculam fuiſſe*, pervictum dabo contra SCEPTICUM *hac in parte* THEOLOGUM; qui Conſummatioris Sapientiæ, & Doctrinæ ſuæ cumulum huncce publice ſibimet nunc vindicat ; quod quum ante *Octo* adhuc *annos* , illud cum omnibus in Univerſum *Theologis* ac *Philologis* tanquam *indubitatum* amplexatus eſſet ; indeque *Veritatem* *Is alias diſcutiendus.*

V RE-

REVELATIONIS corroboraſſet; NUNC quidem NEC AMPLIUS *hoc* ADFIRMET, NEC *etiam* NEGET; *ſed* IN MEDIO RELINQUAT; *atque de* ASSERTO HOCCE SUUM JUDICIUM SUSPENDAT.

Aliæ nebulæ veritati offuſæ.

LXXIX. Videamus tamen an *Æquilibrium* ſatis ſervatum ſit, tum in *Belgica*, tum in *Latina ſcriptione*. In *Belgico* certe ita continuatur *paragr. LVII pag.* 272. " *Et ubinam, quæſo, Terra illa? Quiſnam ille populus? in qua & inter quos* HEBRÆO-BIBLICA LINGUA UNQUAM *fuiſſet* DIALECTUS *ſive* VERNACULA LINGUA? (**De** Land- **oft** Volks-taal **oopt zoude geweeſt zyn?**) CERTE! *Abrahamus, ut ab illo patriarcha ordiamur, omni tempore quo in Meſopotamia habitavit,* LINGUAM, *tunc in peninſula iſta uſitatam, adhibere debuit: & hæc* ABSQUE DUBIO *erat* VETUS ARAMÆA LINGUA; *quæ poſt Diluvium* UNIVERSALIS *erat* VERNACULA (**De Algemeene Moeder-taal**) *ex qua lapſu temporis omnes aliæ Linguæ, tanquam propagines, enatæ. Nam Borealis erat pars Meſopotamiæ, quam Noachus cum ſuis Arca egreſſus inſedit: & unde poſteri ejus ſe diffuderunt, atque totam Terram tractu temporis impleverunt.*

Hæc ita tradi apparet, ac ſi e Tribunali veritatis promulgarentur; quum tamen nihil in his omnibus inſit Firmitatis: & apertiſſime revinci, atque redargui, queant. Fiet illud ſuo tempore: nunc modum *diſputandi* tantum adſpiciendum do, & *Statum Quæſtionis* noſtræ pando.

Et ſemet ſpiſſantes.

LXXX. Siſtendus quoque e *Belgica* præluſiuncula totus *paragr.* LVIII. ut *jus accreſcendi*, quod Arbitrariis Conſtitutionibus competit, diſtinctius notari percipique queat. Sic ergo continuatur. " *Jam vero* LINGUAM VETEREM ARAMÆAM *fuiſſe primam & Communem Matrem, ejus rei multa dantur* ARGUMENTA EVIDENTIA.

„ TIA. (ſchijnbaare bewijſen) *Meſopotamia quam Noa-*
„ *chus cum domo ſua, Arca egreſſus, inſedit, vocatur in S.*
„ *Scriptura* Aram Naharaim, *ſive duorum fluviorum. Gens*
„ *ex Aramo, quinto Semi filio oriunda, quæ ſe occidentem verſus*
„ *diffudit trans Euphraten, (ne jam de Paddan Aram in Meſo-*
„ *potamia ſita loquar) ubi Aram Zoba, Aram Dammeſek,*
„ *& aliæ Aram. Quin non videtur error commitи (*En
„ ſelfs ſchynt men niet te dwaalen*) ſi nomen* ARME-
„ NIA *(quæ a ſeptentrione Meſopotamiæ adjacet) ſuſpice-*
„ *mur ab* ARAM *derivatum. Nam initium illius nominis eſt*
„ *Aram*, ארמניה ARAMNIA: *quod deinde*, ut mollior eſ-
„ ſet *pronunciatio*, ARMENIA *enunciatum fuerit. Adde,*
„ *Linguam Aſſyriorum, (qui ab Aſſur ſecundo filio Semi no-*
„ *men trahunt) quod eſſet propago Veteris Linguæ Aramææ*
„ 2 *Reg.* XVIII. *vs.* 26. *Jeſ.* XXXVI: 11. *vocari Linguam*
„ *Aramæam. Ac proinde Abrahamus*, ABSQUE DUBIO,
„ *quamdiu in Meſopotamia manſit, Veterem-Aramæam locu-*
„ *tus fuit.*

Habes præter alia mira plane, ac ſuavia, primordia *Coloniæ Joctanidarum*, deinceps *Diſſertatione Latina* in *Armeniam* immit tendae. Hæc diſcuſſionem non injucundam nobis ſuo loco miniſtrabunt. *Præludium Coloniæ* Armenicæ.

LXXXI. Pergit *Paragraphus* LIX. *Scriptionis Belgicæ*; atque *Abrahamum* in *Palæſtinam* translatum proſequitur. „ *Ad Vocationem Divinam in Canaanem e Meſopotamia veniens Abrahamus; peregrinusque ibidem agens; iſta in Terra* ABSQUE DUBIO *Linguam Terræ illius*, i. e. *Cananæam (quæ cum veteri Phœnicia magnam communitatem habere debuit) uſurpare neceſſe habuit.* „ Vides in QUÆSTIONIBUS FACTI valde meticuloſum eſſe Cl. *Theologum*: nec *quicquam adfirmare* audere, antequam videat *Idonea teſtimonia hiſtorica*, ex *caſta*, & *neutiquam corrupta Antiquitate*. Vides quoque, in *Natalibus* omnium QUÆSTIONES FACTI.

 Dia-

Dialectorum illius temporis nihil acie ejus penetrantius. Sed & hæc ſuo loco.

In quibus incomparabilis Cl. Diſſertator.

LXXXII. Conſimilem in *Linguæ commutatione* fortunam *Jacobo* contigiſſe, ad *Quæſtiones facti* firmiſſimus *Diſſertator*, enarrat *Paragr.* LX. *Comment. Belg* „ *Jacob* „ *Abrahami Nepos*, *Domum & Familiam ſibi fecit in Paddan Aram*, *ubi Vernacula erat Vetus Aramæa Lingua: ut* „ *modo vidimus Inde juſſu Dei cum ſuis reverſus in Canaan*, „ *coactus fuit ibi Cananæam Linguam uſurpare. In Ægyptum dein delato Eo*, (*quamvis in Terra Goſen ſatis ſecluſi* „ *habitarent*) *cogebat eos converſatio cum Ægyptiis*, *ut &* „ *Tyrannis Exactorum Ægyptiorum*, *veterem Ægyptiam Linguam loqui. Ac propterea* NULLO PLANE PACTO „ PROBARI *poteſt*, (**En dus is het geheel onbewyslyk**) *quum* NE MINIMUM *quidem* DOCUMENTUM *ejus rei* POSITIVUM *in Caſta Antiquitate* „ *reperiatur*; *Iſraelitas in Goſenitide* HEBRÆAM LINGUAM *tanquam* VERNACULAM SUAM *inter ſeſe* „ *locutos eſſe*.

Commiſeratione digna profecto! atque deplorata plane, oppugnatio Evidentiſſimæ Veritatis, cum intricatione ſui ipſius ineluctabili. Hæc ſuo tempore comparebunt, ad optimæ Cauſæ ſplendidiſſimum, Deo ſic rem votis meis citius maturante, Triumphum.

Centrum & culmen omnium conatuum Clar. Diſſertatoris.

LXXXIII. Subſumitur his ita firmiter præſtructis, ſcilicet! & in ſolido locatis, *magnum* illud *Dogma*, ad quod cuncta tanquam ad *Centrum*, ferebantur, & conſpiratis quaſi viribus convergebant. Id *paragr.* LXI. *Comm. Belg.* ſic promulgatur tandem. „ *Ex iis quæ hactenus* DEMONSTRATA, LIQUET *nobis*, *ſine ullo firmo*, *bonoque*, „ *documento ſtatui*, LINGUAM HEBRÆO-BIBLICAM „ UNQUAM *ulli genti* VERNACULAM. (**Uit het** „ **geene dat tot hier toe** BETOOGT **is / blykt ons /**

„ **dat**

„ dat men ſonder eenigh HEGT, ofte DEUGDELIK
„ BEWYS het daer voor houdt / dat het BYBELS-
„ HEBREEUWS OOYT by eenigh volk de Dage-
„ lyksche en gewone LAND- of VOLKS-SPRAAK
„ GEWEEST IS.) *Sic ut hinc* LINGUAM HE-
„ BRÆO-BIBLICAM *conſiderandam habeamus tanquam*
„ LINGUAM SINGULAREM, (als een beſondere
„ ſpraak) *in qua Deus voluerit ſuos* PROPHETAS
„ CONSILIUM *ſuum & VOLUNTATEM*; PRÆ-
„ CEPTA JURA & STATUTA *ſua, conſignare. Quod*
„ *forte factum, quia Deus, quotieſcumque cum Patribus ſub*
„ *promiſſione loqueretur, hanc* LINGUAM SINGULA-
„ REM (deſe beſondere Taal) *uſurpavit: quin imo, ut*
„ *inter alia, hac quoque* LINGUA SINGULARI (*tan-*
„ *quam pariete intergerino*) *Ethnicos a Lectione Librorum*
„ *Biblicorum abarceret. Nam inter prærogativas Judæorum*
„ *eminet, quod ipſis concredita* ELOQUIA *Dei. Rom.* III. 2.
„ *Ideoque Pſaltes Pſ.* CXLVII. 19. 20. *canit: Nota fecit*
„ *Jacobo verba ſua; & Iſraëli ſtatuta ſua ac jura: ita*
„ *nulli fecit populo, & jura Ejus non cognoſcunt.*

Vides *Bigam Theſium* audaciſſimarum, liberius effuſiuſque ſubinde admiſſam, ſubito ſeſe velut *Victricem* inferre, & ſub nube concitati pulveris *Metam* vorſus properare: id eſt, miſerum FANATISMUM: qui & *Firmamenta* convellat *Revelationis*, & *Ornamenta Eruditionis* extinguat. Hoc ut Docti jam dudum ſenſere, ita opera dabitur, ut vel indoctiſſimi quique id tandem perſentiſcant.

LXXXIV. At quodnam, roget quis, *fatale* illud *præſtigium*, quod eo uſque Virum *Eruditionis* gloria florentem, & *Religionis* utique amantem, ſibimet excutere potuerit, atque huc præcipitii evehere adverſus ſuam ipſius perpetuam & anno 1730. denuo obſignatam publice ſententiam? Dicam, nam niſi dixero *Status præſens* noſtræ *Con-* *Quid Cl. Theologum ad hos egerit Exceſſus.*

Digitized by Google

troverſiæ ſatis dilucere, atque internoſci, haud poſſet. *Guſſetianiſmus*, quem contra me inter ſtudioſos ſuos defendendum ſuſceperat Cl. *Theologus*, ſuſtineri aliter non poterat. Criminatiunculæ quoque adverſus me ſparſæ, quod *Linguæ Sanctæ dignitatem* minuerem, & *Biblia Defectuoſa eſſe* dictitarem, aliter colorem ſuum obtinere non poſſent, ſed in ruborem tandem dare deberent toties jam refutatos, revictos, veriora a me & Ore, & Scripto, monitos, atque edoctos. Pervincendæ ergo hæ *Theſes* erant; ut & *Guſſetianiſmus* juſtis a me armis ſubverſus reſurgeret, & Criminatio adverſus *Schultenſium* ſatis feliciter ſerpens, vigeret, majoreſque ſibi vires comparare poſſet.

Tropæa in nos eriguntur: & ſigna victricia defiguntur. Habes Scopum, Nexumque ſimul, *paragraphi* LXII. *Comment. Belg.* jam *tropæa* erigere cœptantis in ſuſum, confuſumque, & ulterius confundendum *Scriptorem Originum Hebraicarum*, cum ſuis ſibi *Defectibus cognitionis noſtræ* in *Lingua Hebræa*. En ſigna victricia. " *Ex hoc*
" SINGULARI USU LINGUÆ HEBRÆO-BI-
" BLICÆ, *quod Deus* IN EA SOLAS LEGES *ſuas*, &
" TESTIMONIA *conſcribi voluerit*, OMNI JURE (**met**
" **alle regt**) *concludi poteſt*, *Deum Providentia ſane quam opti-*
" *mam curam geſſiſſe*, *ut* HÆC LINGUA HEBRÆO-
" BIBLICA NON MINUS INVIOLATA, & *a* DE-
" FECTIBUS INTACTA *manſerit*; *quam* HOC CIR-
" CA IPSOS LIBROS BIBLICOS *procuravit*. *Ha-*
" *betque ſane Emphaſin*, *quod Dominus Jeſus*, *ſuis confir-*
" *maturus*, *Deum Verbo ſuo accuratiſſimam cuſtodiam eſſe*
" *præſtiturum*, *ſpeciatim* LITERAS & APICES *Legis*
" *expreſſerit: dicens Matth.* V: 18. *Amen dico Vobis*, *uſque*
" *dum præterierit cœlum & terra*, JOTA *unum*, *aut*
" *unus* APEX *non præterierit*, *uſque dum omnia facta fue-*
" *rint.* "

Ap-

Digitized by Google

Appellavi *periodos* haſce *Tropæa*, & *ſigna Victricia*, a Cl. *Theologo* poſt pugnam tam ſtrenue adverſus nos depugnatam erecta.

Continent nempe hæ *periodi* omnium *Meditationum Theologicarum*, quæ ad hanc *Quæſtionem* cum Auctoritate decidendam, ac terminandam, multis magniſque fluctibus *Viri* pectus volutarunt, *Quintam Eſſentiam*. Ut earum & ſubtilitas, & vehementia, pro particula ſaltem aliqua, nunc teneatur, obſervo. *Novi Articuli Fidei ſub his Auſpiciis conditi.*

1. Tanquam certa, liquida, indubitata, pervicta, ſubito aſſumi, quæ per ambages dubitabundas proceſſerant. *Primus.*

2. Hoc nihil. Solent ita, qui *ſophiſticam* callent, & exercent. Sed in *Articulum Fidei* aperte erigitur *prior Theſis* illa, LINGUAM HEBRÆAM, *qua Linguam*, *per ſe*, TOTAM *fuiſſe* DIVINAM. *Secundus.*

3. In *Articulum Fidei* quoque ſe erigit altera iſta *Theſis*, e ſuperiore emanans, *Linguam Hebræam Hebræis non fuiſſe vernaculam.* *Tertius.*

4. In *Articulum Fidei* item conſurgit, *Hebræam Linguam*, qua *Linguam*, & *Sacroſancta Biblia Hebraica*, hoc eſt *Veritates Divinas Hebraice revelatas*, unum eundemque gradum Dignitatis cœleſtis, & Religioſiſſimæ venerationis, ſibi vindicare. *Quartus.*

5. In *Articulum Fidei* etiam effertur Cumulus ille abſurditatum infinitarum; *nullos* NE EXTERNOS *quidem* DEFECTUS ESSE *Linguæ Hebræo-Biblicæ*. i. e. ne *vocem*, ne *formam* quidem ullam, interiiſſe. *Quintus.*

6. In *Articulum Fidei* ergo ſimul erectum, *Linguam Hebræam* TOTAM *in Codice Sacro Comprehendi*; *& nihil omnino de* EJUS PARTIBUS ORATIONIS, *vel* DEESSE, *vel* ABESSE. *Sextus.*

7. In *Articulum Fidei* ſubrectum, ne *Jota* quidem *unum*, vel unum *Apicem* de *Lingua* illa, qua *Lingua*, DEFICERE. *Septimus.*

8. In

Digitized by Google

Octavus.

8. In *Articulum* ergo *Fidei* tandem evectæ, tales *Theſes*, cum ſuis ſibi appendicibus, quæ omnem *Fidem*, *Religionem*, & *Revelationem*, una cum *Eruditione* & *Sana Ratione*, quin *ſenſu Communi*, funditus labefactant, atque convellunt.

Iidem Exceſſus regnant in paragr. XXVI. primæ, ſive XXXII. ſecundæ Edit. Latinæ.

LXXXV. Quum ſupra *primum conſpectum* exhiberem *ſtatus controverſiæ*: ex *Diſſertationis Latinæ Cap.* IV. *paragr.* XXVI. *pag.* 218. adduxi eandem hancce Cl. *Diſſertatoris* vehementiſſimam, & omni *Theologica armatura* ſtipatam, concluſionem. Oſtendi quoque *pag.* 116, 117, 118. quantæ & *iniquitatis*, & *imprudentiæ*, ſeſe adfinem fecerit Cl. *Theologus*, mœnia & præſidia Ipſe ſua prodens *Pontificiis*: & omnem *Rem Reformatam* ſollicitans, atque conturbans, fundamentis & firmamentis *Linguarum Originalium*, omniſque ſolidæ *Eruditionis Scripturariæ*, infeliciſſime ſubrutis, atque ſubverſis.

Nondum attigi ibi incredibiles hoſce *Exceſſus*, quibus nihil par unquam viſum noſtris in oris, *Academiiſque*. Melius hic comparent, ad *Alteram Editionem Diſſert.* de *Ling. primæva*, *Auctiorem* illam & *Emendatiorem*. In ea *Novi* hi *Fidei Articuli* occupant *paragraphum* XXXII. *pag.* 236, 237, 238. Ita incipit. „ *Cum vero* DEUS *hac* SIN-
„ GULARISSIMA LINGUA *deſcribi voluerit oracula*
„ *ſua*, *ut* ILLA SPECIATIM LINGUA SUUM *de æ-*
„ *terna hominis ſalute quam* CLARISSIME *ac* SAPIEN-
„ TISSIME *explicaret* CONSILIUM: *atque ab his Ora-*
„ *culis ſuis reliquas*, *ad præſtitutum tempus uſque*, *arceret*
„ *gentes*; *eaque ſolorum Judæorum committeret fidei* (Conf.
„ *Pſ.* CXLVII: 19, 20. *Rom.* III: 2. DUBITARE
„ NON POSSUMUS, *quin Deus* HANC HEBRÆO-
„ BIBLICAM LINGUAM *ſua* NON MINUS *Pro-*
„ *videntia* ab OMNI OMNINO *vindicaverit Corruptio-*
„ *ne* & DEFECTU; QUAM CREDIMUS, & *adver-*

ſus

Digitized by Google

„ *ſus Pontificios* STRENUE DEFENDIMUS, *Deum*
„ UNIVERSAM VET. TEST. SCRIPTURAM *ab*
„ OMNI OMNINO *corruptionis ſpecie tutam præſtitiſſe.*
„ *Atque hinc* PROCUL OMNI DUBIO *eſt cur Chriſtus*
„ DE HAC *Dei circa verbum ſuum* PROVIDENTIA
„ *certiores faciens Judæos*, LITERARUM VEL MI-
„ NUTISSIMARUM *atque* APICUM EARUM *men-*
„ *tionem fecerit. Matt.* V: 18. &c. &c. *Debitas* HAUD
„ DUBIE *memori mente Deo perſolvere debemus gratias*;
„ *quod* LIBROS VET. TEST. NON TANTUM
„ INTEGROS *nobis conſervaverit*; *ſed quod* LINGUAM
„ *quoque* HEBRÆO-BIBLICAM *ab* OMNI OMNINO
„ CORRUPTIONE, *ac* DEFECTU IN HUNC US-
„ QUE DIEM *tutam præſtiterit.*

Notari hic velim e TRIBUNALI promulgatum. *Nova & Mira dogmata.*

1. Illud, DUBITARE NON POSSUMUS.

2. LINGUAM, *qua Linguam* videlicet, *ab* OMNI OMNINO DEFECTU *vindicatam* *Primum.*

3. LINGUAM, *qua Linguam* iterum, *ab* OMNI OMNINO CORRUPTIONE *defenſam.* *Secundum.*

4 LINGUAM ISTAM, *qua Linguam*, NON MINUS *ſic* INTEGRAM & INCORRUPTAM *remanſiſſe a nobis* CREDI DEBERE; QUAM CREDIMUS *Deum* UNIVERSAM VETERIS TESTAMENTI SCRIPTURAM *ab* OMNI OMNINO CORRUPTIONE *tutam præſtitiſſe.* *Tertium.* *Quartum.*

5. PROCUL OMNI DUBIO *hoc velle Dominum*, *Matth.* V. 18. *uſque ad* LITERULAM VEL MINUTISSIMAM IPSIUS LINGUÆ, *qua Linguæ*, EJUSDEMQUE APICEM; *æque ac* LEGEM, & VERITATES COELESTES IPSAS. *Quintum.*

6. OMNIA *hæc* CONJUNCTIM *ab* ECCLESIA NOSTRA *contra Pontificios* STRENUE DEFENDI. *Sextum.*

X 7. *Hoc*

Digitized by Google

Septimum. 7. *Hoc* DUPLICI *nomine*; & *pro* LINGUA VET. TEST. & *pro* LIBRIS VET. TEST. GRATES *a nobis Deo* PERSOLVI DEBERE : *quod* UTRAMQUE, & VERITATEM IPSAM SANCTISSIMAM, & LINGUAM SACRO - SANCTAM, *ab* OMNI OMNINO *tam* CORRUPTIONE, *quam* DEFECTU PERÆQUE TUTAM *præſtiterit*.

Copiæ formidabiles, quibus adverſus nos in Aciem exiri vult Cl. Differtator. Formulam ergo ſolemnem publicæ Gratiarum Actionis jam omnibus ſuis Studioſis præit, ac præſcribit Cl. *Theologus*. Atque

a. *Certa*, *liquida*, *indubitato pervicta* ab iis cenſeri vult, jubet, ſancit, quæ ipſe Anno 1730. plane *in Contrarium* adhuc *docuit*, *inculcavit*, *evulgavit*, *publico Auctoritatis ſuæ Theologicae ſigillo* impreſſit.

b. Ab iiſdem *ſancte credi* poſtulat LINGUAM HEBRÆAM, (*qua Linguam*, *per ſe*) TOTAM *eſſe* DIVINAM ; ac SINGULARISSIMAM.

c. DUBITARI quoque ab iiſdem non patitur, LINGUAM HEBRÆAM, utpote SINGULARISSIMAM plane, ORACULIS DIVINIS tantummodo inſerviiſſe : ac propterea NUNQUAM FUISSE VERNACULAM HEBRÆORUM.

d. Sanctiſſime quoque eoſdem *credere* jubet, *eodem gradu dignitatis*, *perfectionis*, *integritatis*, & SACRO-SANCTÆ, INCORRUPTÆ, ac NULLO OMNINO DEFECTU *laborantis* EMINENTIÆ, *ſtare* LINGUAM HEBRÆAM ; *quo ſtant* VERITATES *iſta Lingua revelatæ* & *deſcriptæ*.

e. Ergo ne EXTERNOS quidem DEFECTUS a quoquam poſſe, vel debere admitti, *in Lingua per ſe incorruptibili ad hunc uſque diem*.

f. Ergo *nihil* quoque, *nihil* omnino, vel DEESSE, vel ABESSE, ex HAC LINGUA TOTA DIVINA,

quæ

Digitized by Google

quæ TOTA *quoque cum* OMNIBUS PARTIBUS ORATIONIS, quas vocant *Grammatici*, cum OMNIBUS & SINGULIS ſuis VOCABULIS; ſecundum OMNEM & SIGNIFICATIONEM, & CONSTRUCTIONEM, in *Codice ſacro ad hunc uſque diem* Divinitus conſervata ſit.

g. Hoc *ſanxiſſe Dominum Matt. V.* 18. ac proinde Religioſiſſime iis credendum, ſi *Orthodoxi* manere cupiant, ne *Literulam* quidem, vel *Apiculum*, de *Veteri Lingua Hebræa* intercidiſſe.

h. Has eſſe *Fundamentales Veritates* noſtræ *Religionis*, & *Reformationis*, quas contra *Pontificios ſtrenue defendere debeant:* ne res ipſorum *Theologica* quicquam detrimenti capiat.

i. Quin has eaſdem *Veritates* iis adverſus *Linguarum Orientalium* infauſtos illos *Defenſores*, non minori *ſtrenuitate* eſſe propugnandas, omnique virium contentione vindicandas: ut ita FACILLIMUM illud *ſuum ſtudium Linguæ Hebræo-Biblicæ*, magno Magni *Theologi* exemplo ipſis commendatum, ornent, atque coronent.

LXXXVI. Hujus *ſtrenuitatis* adverſus *Dialectorum Orientalium patronos* exercendæ, *Exemplum* quoque, ac *ſpecimen* illuſtrius, exhibere non recuſavit Cl. *Theologus*, *Excurſionem Belgicam* tandem ita concludens quam animoſiſſime *paragr.* LXIII. p. 274, 275. „ *præterea neſcio an* „ *illi, qui tam large loquantur de* MAGNO DEFECTU, „ *quem paſſa ſit* LINGUA HEBRÆA, *& de* OBSCU- „ RITATE VOCABULORUM HEBRÆO-BIBLI- „ CORUM, *quæ* EX HOC DEFECTU *nata eſſet*, „ *non* PONTIFICIIS (*quamvis*, UT SPERO, *citra in-* „ *tentionem*) *argumenta ſubminiſtrent* (**of men den** Roomſ- „ geſinden **geene bewyſen aan de hand werkt**) *adver-* „ *ſus*

Periodus Belgica, exhibens ſpecimen Oppugnationis *acerrimæ & generoſiſſimæ.*

,, *ſus illibatam integritatem*, & CLARAM EVIDEN-
,, TIAM *Sacræ Scripturæ* (tegen de gebrekklooſe vol-
,, maaktheid, en klaare verſtaanbaarheid der Heilige
,, Schrift) *quæ* DUO *præcipua* CAPITA *adverſus eos*
,, STRENUE *ſolemus defenſare. Si auxilium quæritur*
,, *apud Arabes, ad* DEFECTUM ILLUM, *quem paſſa*
,, *Lingua Hebræo-Biblica, ejuſque* OBSCURITATEM
,, (ſoekt men hulp by de Arabiers om dat geleden gebrek
,, der Hebreeuſche Bybel-taale; en derſelver duyſter-
,, heid, uit de Arabiſche tael &c.) *ſarciendam ex* DIA-
,, LECTO ARABICA, *quæ antiquitate Græcam Linguam*
,, (*ſi verum ſit* HOMERUM & HESIODUM *mille &*
,, *centum annos ante Chriſtum vixiſſe ac ſcripſiſſe*) *ne ad lon-*
,, *gam quidem diſtantiam æquat, quare, inquiet* ISAAC, VOS-
,, SIUS, *non potius* DEFECTUS, & OBSCURITAS
,, *Sacræ Scripturæ*, (*nam ſi* LINGUA SACRÆ SCRI-
,, PTURÆ DEFECTUOSA *eſt*, & OBSCURA,
,, *ipſa quoque* SCRIPTURA *certiſſime eo ipſo* DEFE-
,, TUOSA *eſt* & OBSCURA) *ſarcienda ſtatuitur ex*
,, LXX. *Virali Verſione? Et quare dicet* PONTIFICIUS,
,, DEFECTUS & OBSCURITATES *illas non reſar-*
,, *cire potius ſtudent ex* TRADITIONIBUS, & DECI-
,, SIONIBUS *Pontificis Romani, ac Conciliorum? Hi pro-*
,, *fecto, inquient, in ſuis decretis non minus* SANCTI
,, *ſunt* & INFALLIBILES, *quam* ARABES *in ſua Dia-*
,, *lecto. Atque ita Lector* VERITATIS AMANS *cernit*,
,, *neutiquam approbandum*, LINGUAM HEBRÆO-BI-
,, BLICAM *ſuſpectam ullo pacto haberi* DEFECTUUM,
,, *quos paſſa ſit*, (eenigſins van geledene gebreeken ver-
,, dagt houde) *operamque dari ut* DEFECTIBUS ILLIS *ex*
,, *Arabica Dialecto liberetur: atque propterea Etymologi-*
,, *am quoque Vocabuli Schilo ex Arabica Dialecto, ſuperius ex*
,, *Clariſſ.* DE DIEU *adductam, nullum plane locum mereri.*

Qui-

Qui has *Periodos Anno* 1736. *Syſtemati* noſtro objectas, & pro ſecuri injectas, idque *Sermone Belgico*, expendet, continuo agnoſcet, atque confiteri cogetur, ut complicata, involuta, perpetuiſque *Paralogiſmis* intertexta omnia, ita omnia quoque ad inextinguibilem invidiam *Syſtemati* noſtro puriſſimo concitandam eſſe comparata.

Cur ad Tubam ita contra me inflatam ſiluerim.

LXXXIII Cur vehementiori huic *Expeditioni*, in nos, & noſtra omnia, levato quaſi vexillo, ſuſceptæ, me non confeſtim oppoſuerim, ſtrictim indicatum *Excurſ. Prim. pag.* 24, 25. Necdum matura res erat: *Status Controverſiæ noſtræ* vix cognoſcebatur. *Paralogiſmi*, quibus Veritas offuſcabatur, in materiis tam abſtractis, & abſtruſis, non cuivis poterant patere. Adfectui indultum erat a *Magnæ Auctoritatis Theologo*. Ipſum ſuiſmet *Paralogiſmis* præſtrictum, implicitumque, cernebam.

FANATISMUS HEBRÆO-BIBLICUS.

Ad *Fanatiſmum*, reliquis omnibus *Fanatiſmis* periculoſiorem, hæc abducere, tam diſtincte diſcernebam, quam Digitos numerare valeo. Fas non erat, ut Cl. *Theologum* vere, & ex animi ſententia, huc progreſſum autumarem. Nefas, ut iſtoc nomine Calamum adverſus Eum deſtringerem. Concedere itaque malui, & *Revictionem* meam ſuſtinere, ſic tamen ut de officio *Veritatis*, & *Viæ Regiæ*, defendendæ non decederem. Ni feciſſem, incendium in *Academia* vitari non potuiſſet. Hinc maniſeſtiſſimum periculum, ne *Fanatiſmus Hebræo-Biblicus* imperite *Zelantium* mentes, nimis ſane commotas, vehementius adhuc adflaret; atque genus exiſteret *Hebraïzantium*, quod ſub auſpiciis *principis Theologi* palam contenderet:

א. LINGUAM HEBRÆAM, *qua Linguam*, TOTAM *eſſe* DIVINAM: atque TOTAM in *Bibliis contineri.*

ב. Eamque propterea HEBRÆIS NEUTIQUAM VERNACULAM CENSENDAM, *ſed pro* SINGU-

LARISSIMA *plane*, USIBUS *commerciiſque* HUMANIS EXEMTA *atque* DIVINIS INSPIRATIONIBUS UNICE DICATA, habendam.

Æterna litium Materies. LXXXVIII. Hæ *Theſes*, cum *novis Articulis Fidei*, omni *Auctoritate Theologica*, & *ſeveritate* ſimul *Cenſoria* adverſus aliter ſentientes, tam *Mortuos*, quam *vivos*, inde exſculptis, atque *Sanctione Domini Matt.* V. 18. tam ſolemniter communitis; quam magis directe a me impugnatæ eſſent, tam magis *Fanatiſmum Hebræo-Biblicum* introducere debuiſſent; atque quaquaverſum diſſeminare.

Fuiſſet hæc *irreſtincta litium Materies*, in novas identidem formas, facieſque, *Protei* ritu, ſe induens, quæ, procedente tempore, tenebris pluſquam *Ægyptiis* cooperuiſſet denuo *Candelabrum Eccleſiæ*, atque ut *Lumen*, ita *Decus* quoque, ac *præſidium*, *Reformationis* extinxiſſet.

LXXXIX. Quum itaque *Diſſertatio de Ling. primæva*, poſt prælusionem *Belgicam*, me ex obliquo acerrime impetentem, animoſius adhuc ſeſe in *orbem Eruditum* intuliſſet, eundemque *Fanatiſmum Hebræo-Biblicum* ulterius provehere minaretur: non potui, non debui, amplius *provinciæ*, quam ſuſtineo, defenſandæ me ſubducere. *Eruditionis Hebraicæ* certiſſima *fundamenta*, & *firmamenta*, quæ infauſto zelo adverſus nos, & noſtra, concepto, convelli videbam, *vindicem* tandem depoſcebant calamum.

Excurſus Primus Ei reſtinguendæ inſtitutus. Ne tamen ſcintillæ in flammam ſubito conſurgerent, unoque omnia incendio involverent; *Aqua* mihi *ſpargenda*, & largiter ingerenda fuit: id eſt, curandum erat, ut, adſpirante Dei gratia, infelices hæ *Theſes*, quia ſponte ſeſe reſtinguere noluerant, liberali & amiciſſima convictione reſpergerentur: atque *Clariſſimo Diſſertatori* ad *Caſtigatiorem trutinam* Earum inſtituendam, ſub conſpectum ferrentur: quando nec ad *Belgicam ſcriptionem*, nec ad *Latinam*, mihi perſuadere ſuſtinebam, Cl. *Theologum* ve-

vere ad miſerabilem *Fanatiſmum* huncce, quem verba & phraſes præferebant, atque inculcare videbantur, deſciviſſe: multo minus Eundem ſedatiore, & diſtinctiore, tantarum Veritatum Diſcuſſione, defenſitare coram facie *Academiæ* & totius *Orbis Eruditi* velle.

XC. Nec volui itaque, quod *venerationis* fuit & *amicitiæ*; nec debui, quod *æquitatis* ac *juſtitiæ*; nec potui, quod *prudentiæ* ac *circumſpectionis* neceſſariæ, adverſus *Bigam* iſtam. *Theſium* infinite abſurdarum, quæ *Univerſam Diſſertationem de Ling. primæva* portant & vehunt, confeſtim in Aciem educere; eaſque ſexcentis repugnantiis, omniſque *Fanatiſmi* plenis contradictionibus, obruere, atque profligare.

Occaſio glorioſiſſima honorifice oblata Cl. Theologo *ad* Veritatem *cum* Dignitate *honorandam.*

Et veritatis igitur, & concordiæ ſimul, curam gerens, ſumme Venerandum, & Honoratiſſimum, *Virum*, quem Litibus hiſce ſeſe illigaſſe dolebam, inde evolvere conatus ſum, non ficta quadam, aut ex metu profecta, humanitate, ut nonnulli judicarunt, ſed ex vero & ſincero affectu, quo Officium hocce *Theologo*, annis meritiſque gravi, a me deberi exiſtimabam.

In *Excurſu primo* ergo, Honorandi *Viri* cum *Auctoritati*, tum *Dignitati*, quantum *juſtiſſimæ Cauſæ Defenſio* ſinebat, ſerviens, Eum ad *indubios*, *integerrimoſque* ſuos, his de *Theſibus*, *ſenſus* revocavi: atque *in genere* tantum mentionem feci *infinitæ* cujuſdam *abſurditatis*, & *repugnantiæ*; quam hae *Theſes* in ſe concluderent: nihil adhuc *in ſpecie* demonſtrans: multo minus *Theſes* illas tanquam *veras animi* Ejus *ſententias* vexans. Scilicet, & *pulchrius* autumabam *Nominique* Magni viri *glorioſius*, & *veritati pacique* conducibilius, ut Ipſemet haſce ſuas *Theſes* reformaret; quam ut Ego eas deformarem: atque exiſtimabam *Viro* Gravi & ſapiente digniſſimam fore propriam *Correctionem* talium *poſitionum*, quas Ipſe *Revelationis Certitudini*, *Eviden-*

dentiæ, ac *Firmitati* adverſari, ut ſemper, ita ante *octo annos* adhuc recenter admodum. & judicarat, & cum demonſtratione *Veritatis* ad Conſcientiam adſtruxerat.

Hoc Sacrificium Juſtitiæ Viro Juſto non grave.

XCI. Profecto nec grave, nec injucundum, eſſe poteſt *Veritatem Amanti*, ut & cum Ea, & cum ſemet ipſo, in gratiam redeat; ſi & ab Ea, & a ſemet ipſo, per æſtum diſputandi, deſciviſſe commoneatur.

Magna propterea ſpes, & expectatio, me tenebat, haud difficulter à ſe impetraturum principem *Theologum*, ut concederet *Veritati*, concederet *ſibi ipſi*; concederet *votis* omnium, quibus *Eruditio Hebraica*, ejuſque tum *Conſervatio*, tum *Propagatio*, cordi curæque: atque ita *ſemet ipſo Majorem* ſeſe nobis redderet, atque præſtaret.

Congreſſus Amicus cum Cl. Theologo *pacifice quæſitus.*

XCII. Poſt emiſſum, tam honeſtum in Scopum, finemque, *Excurſum* meum *primum*, quæſivi inſuper Amiciſſimum congreſſum, Colloquiumque, cum Clariſſ. *Theologo*, ut Scrupulos adverſus *Syſtema* noſtrum conceptos, ex animo Ejus penitus revellere liceret, & *Quæſtionem* hancce Humaniſſime ſimul, ſimul Cordatiſſime, tranſigeremus.

Hiſce meis ſinceriſſimis deſideriis, votisque, ſi obſecundatum fuiſſet, decreveram in *ſpecialem* illam *Demonſtrationem infinitæ abſurditatis*, qua utraque *Theſis* ſcatet, non deſcendere.

Quid? Minus *honeſtum* cenſuiſſem, & *Perſona* mea haud dignum, tali Evictione, tanquam παραδειγματίζειν & tranſducere, quæ ipſe Cl. *Diſſertator*, ut *honeſtiſſime*, ita *perſona* ſua *digniſſime* correxiſſet, atque miſſa feciſſet.

Quid in omnibus his Conſilii ac propoſiti mihi ſederit.

XCIII. Suſtinui ergo inchoatum Curſum, & quamvis id *Cauſæ* noſtræ haud ſatis utile judicarent multi, a propoſito meo non diſceſſi. Increbuit tandem, Cl. *Theologum reſcriptionem* parare, & *Theſes* ſuas, cum *priores*, de LINGUA HEBRÆA TOTA PER SE DIVINA, ac,

Digitized by Google

ac, HEBRÆIS NUNQUAM VERNACULA: tum *poſteriores*, de COLONIA JOCTANIDARUM IN ARMENIAM *deplantanda*, atque DIALECTI ARABICÆ SPURCISSIMA PROLUVIE, doctius, & interius, adſtructurum eſſe.

Lætabar; & quid Reſponſi venturum eſſet, tranquillus præſtolabar: quuum ecce ſubito affertur, *Alteram* prodiiſſe *Editionem Diſſertationis*, acceſſionibus quibuſdam non humaniſſimis adverſus me, ditatam. *Alterius Editionis præcurſores ſuſurri.*

Non credere Ego. Mox oculis meis fidem habere, hac ſaltem in re, coactus fui. Vah! Adeone quemquam *ſibi iniquum*, *ſibi injurium* eſſe poſſe! Nihil aliud nunc addo: & ad rem ipſam devenio.

XCIV. Perlectis, quæ prima curioſitas, *Notulis*, quibus *Altera Editio* hæcce adaucta, in ſtuporem plane defixus ſum. Vidi, quod numquam forte in *Orbe Erudito*, ſic quidem, viſum: vidi *duas inſigniores Notas*, quæ *duas* illas *priores Theſes*, quibus *adſtruendis Diſſertatio* univerſa deſtinata fuit, *deſtruerent*, ipſa *Diſſertatione* tamen adeo non relaxata, aut remiſſa; ut contra haud paulò animoſior in nos ſurrexiſſe, & exarſiſſe, videatur. *Incredibile & ſtupendum phænomenon.*

Hæc alias ſub conſpectum dabo. Nunc quod inſtat. Fatebor itaque, me tum *lectis Notulis*, tum aliis *acceſſionibus perlectis*, ac perpenſis, uno eodemque tempore, & *ſincero* perfuſum *gaudio*, & *acri dolore* compunctum.

Gaudio ſincero, quod *Veritas* evaluiſſet. *Acri dolore*; quod *Veritati* tamen adhuc *ex parte obniti* viderem Honoratiſſimum *Virum*, qui Eam ambabus ulnis lætus, gratanſque, amplecti potuiſſet. Spero tamen, & confido, in *Domino*, & *Verbo Veritatis*, nec hunc fructum laboris mei, pro eo impenſi, multo ſuaviſſimum, ſemper mihi defuturum. Sic demum *Gaudium* meum completum, atque cumulatum, cenſebo. *Editio hæc gaudium dolore miſcuit.*

Digitized by Google

Gratationis lætiſſima materies.

XCV. Lætiſſimus eventus non unum interim officium *Gratationis* mihi injungit.

Primum omnium infinitas *Patri Luminum* grates exſolvo, quod, pro ardentiſſimis meis votis, ad *Alteram Editionem Diſſertat. de Ling. prim.* faciem *Academiæ* obnubilatam diſſerenaverit, atque lucidiſſimis *Veritatis*, ſemper *Victricis*, radiis teliſque diem nobis pro imminente nocte caliginoſa reddiderit, nunquam, hoc quidem in Sacrario omnis ſolidæ Eruditionis, offuſcandum.

Deinde gratulor *Eccleſiæ*, quod periculum *Fanatiſmi Hebræo-Biblici* tam prope imminentis, ſeque imperitis mentibus inſinuare minantis ſub magna Auctoritate *Theologica*, ſponte ſemet diſcutiat, atque diſpellat: quando quidem *Theſes* illæ *Audaces*, quæ *Periculoſiſſima* hæcce *Principia* introduxerant ad *Syſtema* noſtrum profligandum, ab Earum Inventore, ac Promotore, *Theologo* nunc palam dimittuntur; atque *exauctoratæ* eſſe jubentur.

Gratulor denique Studioſis *Theologiæ*; tum iis qui per *Viam Regiam* ſtrenue nobiſcum contendunt ad veram *Eruditionis Hebraicæ* palmam: tum iis quoque, qui metu contagiunculæ quaſi, & noxæ alicujus in ſe, & res ſuas, inde redundaturæ, ad nos, noſtraque, accedere reformidant.

Congratulatio ad Studioſos.

XCVI. *Prioribus* quidem illis, qui Diſciplinæ noſtræ, & inſtitutioni, ſe committere auſi, tam in *Hebraicis*, quam in *Chaldaicis*, *Syriacis*, *Arabicis*, literis, optatum hunc Capitalis Litis flexum gratulor; quod jam nebulis artificioſe congeſtis, compactiſque, ad *Evidentiſſimam Veritatem* infuſcandam, ſemet diſſolventibus, curricula feliciter ſuſcepta inoffenſius, alacriuſque, pergere liceat: abſque ut a voculis ullis, aut ſuſpiciunculis, attingi; nedum lædi, atque interturbari queant. *Poſterioribus* autem, qui *Fortunam* ſemper iratam, adverſamque, veren-

Digitized by Google

rentur, ſi vel Auditiones noſtras excipere ſuſtinerent, congratulor; quod ita jubente Numine eadem illa maxima *Auctoritas Theologica*, quæ *Bigas theſium*, ſuper quibus *Fanatiſmus Hebræo-Biblicus* reſidebat, clanculum invexerat in orbem *Belgicum* primo, mox fidentius, & apertius, in *Literatum*, *eaſdem* nunc pro *ſuis* amplius agnoſcere verecundetur; atque veluti de temone deſiliat, ut quo velint, ſine Aurigatore ferantur. Congratulor iiſdem, quod proinde jam exſoluti ſint *Noviciis* illis *Fidei Reformatæ Articulis*, quos *Theologica* illa *Auctoritas*, ſuis *Bigis* confidens, condiderat, atque publice privatimque inculcabat.

Quantis, hac in parte, malis, per Divinam gratiam, levati ſint, uno oculorum conjectu aſſequentur, ſi pagellas replicent 157. 158. hujus *Excurſus*.

Idem adhuc plenius percipient ex reliquis deinceps, longo ſatis agmine huncce conſecuturis, *Excurſibus*. Et proxime proditurus quidem *Tertius* demonſtrabit, atque, quando ita voluit, ita juſſit, Cl. *Diſſertator*, pervictum dabit, LINGUAM HEBRÆAM certo certius HEBRÆIS *fuiſſe* VERNACULAM; ſimulque, *purum putum* eſſe, ac manere, FANATISMUM HEBRÆO-BIBLICUM, non tantum VERITATEM iſtam NEGASSE, ſed quandoin *obſcuram anxiamque Dubitationis cavernam* nunc ſe recepit Cl. *Theologus*, per pulchram illam *Notam* quæ *paragr.* V. *Alterius Editionis* ſubnexa, vel EANDEM IN DUBIUM REVOCASSE. STATUS *præſens* QUÆSTIONIS.

F I N I S
SECUNDI EXCURSUS.

Digitized by Google

C O R R I G E N D A.

Pag. 86.	lin. 22.		lege *aſſeveratione.*
	24.		l. HEBRÆAM.
87.	l. 2.		l. *probandum pronunciat.*
89.	l. 25.		l. *viis.*
	27.		l. perſuadere.
90.	l. 22.		l. Rhetoricationum.
104.	l. 15.		l. HEBRÆIS.
117.	l. 18.		l. conſequentias.
118.	l. 4. ima.		l. velint.
134.	l. 22.		l. PROBARI.
141.	l. 7. ima.		l. *primæ.*
151.	l. 11.		l. *Judaeorum.*
157.	l. 24.		l. infinitarum.
	l. penult.		l. *unum.*
158.	l. 7.		l. *Diſſertationis.*
160.	l. 25.		l. OMNINO.

Digitized by Google

EXCURSUS TERTIUS
AD
EDITIONEM PRIMAM
ET SECUNDAM
DISSERTATIONIS
DE
LINGUA PRIMÆVA,
EJUSQUE
ADDITAMENTUM APOLOGETICUM.

AUCTORE
ALBERTO SCHULTENS.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM LUZAC.
MDCCXXXIX.

Digitized by Google

EXCURSUS TERTIUS
AD
EDITIONEM PRIMAM
ET SECUNDAM
DISSERTATIONIS
DE
LINGUA PRIMÆVA,
EJUSQUE
ADDITAMENTUM
APOLOGETICUM.

I. Quum intermiſſis a *Secundo Excurſu* tribus fere menſibus, in eo eſſem, ut promiſſo me re-ceptoque exſolverem, atque *Tertium Ex-curſum* prælo committerem; in publicum prodit *Additamentum Apologeticum ad Editio-nem Alteram Diſſertationum Hiſtorico-Biblicarum.* *Tertii bujus Excurſus nova Occaſio Veteri neceſſitati adcedens.*

Ea ſcriptio emiſſa medio volvente *Auguſto*, id eſt totis quatuor menſibus poſt *Editionem Alteram*, medio *Aprili* a Cl. *Diſſertatore* procuratam, *Tertiæ* quodammodo *Curæ* vicem explet, quam *Controverſiæ* Circus, Orbiſque, ab iſta parte poſtulare videbatur.

II. Huic extremo conatui aliquid, adhuc quidem, reponere, nulla neceſſitas.

Cuncta ita rimarum plena, ut undique *paragraphorum*, ac *periodorum*, perpluant.

Quæ cauſæ non jam ſuſtinendæ, ſed colorandæ, prætexta, eam intime enudant.

Adverſus nimbum criminationum indigniſſimarum, quo oneror, verberorque, mea me integritate involvo.

Quæ glomerato impetu in me effuſa, ac congeſta, nec me ullo pacto attingunt, & vel ad tenuiſſimum radiolum Reviƈtionis, ſtatim atque opus eſſe ſenſero, liqueſcent; haud ſecus ac nive compacti globuli, ad primum ſolis ictum diffluunt, atque diſtabeſcunt.

Etiam graviſſime *laceſſitus*, *ſilere* didici, atque adeo condonare. *Injurias injuriis propulſare*, nunquam meum feci, nunquam faciam.

Qui pro *Veritate* unice depugno, non aliam certaminis hujus palmam ferre vel volo, vel debeo, quam ut Ea ad egregium publicum, Eruditioniſque *Hebraicæ* decus, vincat, ac triumphet.

Veritati, & ſolidæ *Eruditioni*, ſi fecero ſatis, quæ privatam meam læſionem, ultionemve, ſpectant, lubentiſſime miſſa fecero.

Cardo Quæſtionis, cui nunc unice inſiſtetur.

III. Circumciſis itaque omnibus, quæ *Cardinem Quæſtionis* non directe contingunt, ad *Demonſtrationem* accedo *duarum Theſium*, quas in Fine *Secundi Excurſus* evincendas, omniumque in oculis, ſenſibuſque, defigendas ſuſcepi.

א. Prima erat. *Linguam Hebræam certo certius Hebræis fuiſſe Vernaculam.*

ב. Altera. *Purum putum eſſe Fanatiſmum Hebræo-Biblicum, non tantum veritatem iſtam negaſſe; ſed vel in dubium Eandem revocaſſe.*

Ad harum *Theſium* demonſtrationem viginti *Capita* mihi deſcripſeram, atque delinearam ante, quam *Additamentum Apologeticum* in lucem exiret. Eo perlecto, perpenſoque, Curſum diſputandi, quem tenere decreveram, mutandum eſſe judicavi.

Quæ

Quæ in ſtantem, & fortiter ferire paratum, licuiſſent, in cedentem non licent. Bella magnanimiter gerenda. Erudita præſertim, quæ pro Veritate decertantur, Celſo & Nobili pectore ſuſtinenda. Amputo itaque plus quam dimidiam partem Evictionum, quas *Tertio Excurſui* deſtinaram: ſimulque ab ipſa Acie diſputationis præſentis tantum remittam, quantum Cauſæ ſanctiſſima obligatio permittet.

CAPUT PRIMUM.

Exhibens Originem erroris; ac conſpectum variarum opinionum quibus Linguæ Hebrææ *plus minuſve divinitatis ac ſanctitatis interioris adſcriptum.*

IV. Qui ſecundum externam rerum faciem judicant; exiſtimabunt forte, *Additamento Apologetico* oleum Camino additum, eamque flammam coortam, quæ nulla ope extingui queat.

Additamentum Apologeticum *propiore adhuc gradu nos jungit.*

Falluntur. Quæ toto Cœlo diſparata & ante, & nunc potiſſimum, videri poſſent, velut diverſi generis metalla in Fornace, excoctis fæcibus, inter ſe coaleſcere incipiunt, in ſolidamque maſſam conflari.

Certe circa id, quod Meditullium, ac quaſi Centrum, conſtituit noſtræ *Controverſiæ*, intime jam conſpiramus, eandemque plane mentem, ac ſententiam, fovemus: licet verba nonnihil adhuc diſcrepent.

V. Quodnam hoc Meditullium? Quod Centrum; e quo omnia ducta; & in quod ſimul ſeſe cuncta reducant? Hoc nec aliud unquam fuit, nec eſſe poteſt, quam,

Totius Controverſiæ meditullium.

Habeatne LINGUA HEBRÆA, *qua* LINGUA, *aliquid* DIVINUM; *ſive* DIVINITUS INSITA SANCTITATE, *&* PERFECTIONE *eminens*, *per quod Terris*, *&* *Terrenis uſibus ſua Natura*, *ac indole*, *exemta cenſeri vel poſſit*, *vel debeat*.

Quum in prima *Editione diſſertationis de Lingua primæva* illuc omnia aurigari viderentur, idque *intendi* ſibi perſuaſiſſent Lectores tantum non omnes: Ego in *priore* meo *Excurſu* diſertim teſtificatus ſum, ME NUNQUAM CREDITURUM *hoc vere*, *&* *ex animo*, *intentum eſſe*; niſi id rotundis mihi verbis declaratum confirmatumque foret. Prudenter id a me factum, eventus demonſtravit: nam in Capitali Nota, quæ *Editioni ſecundæ* ſubnexa *pag.* 236. expreſſiſſime negat *Vir Clariſſ.* hanc ſibi mentem ſedere; atque non ſolum NATURALEM *aliquam* SANCTITATEM, *qua* ALIIS LINGUIS SANCTIOR cenſeatur *Lingua Hebræa*, ab ea removet, ſed & reliquam omnem *ſanctitatem* quæ Ei a *Rabbinis* affingi ſolet, mecum cordatiſſime explodit.

VI. Hac Elucidatione ut nihil rotundius, cumulatiuſque; ita nihil efficacius potentiuſque ad concentionem ſuaviſſimam e tanta diſcrepantia pariendam, ſi modo fervor reſidat diſſenſionis, atque *Syſtematis* noſtri fundamenta, ac firmamenta, ad ſedatum Examen revocentur.

Circa illud plena jam inter nos conſenſio.

Hinc in *Excurſu ſecundo pag.* 79. veras haſce voces conſignavi: „ *Apparet Theologum noſtrum longiſſime remotum* „ *eſſe a ſyſtemate Hieroglyphico*, *aliiſque Metaphyſicis ſubli-* „ *mitatibus*, *quæ in* INTERIORE *&* NATURALI *qua-* „ *dam* SANCTITATE, PERFECTIONE, CLARI- „ TATE, *ac Luce*, *Linguæ Hebrææ præſidium ſibi quærere* „ *ſolent*: *ac proinde* FELICISSIMA *nos jungere incipit* „ CON-

Digitized by Google

„ CONSENSIO; *tam magis coalitura, quam magis veris*
„ *Literaturæ ſacræ principiis Uterque innitemur.*

Ibidem quoque hæc verba ſincero adfectu promſi;
„ *Quando ineptias Scholæ Rabbinicæ circa* TITULUM
„ LINGUÆ SANCTÆ *tam aperte nunc repudiat Cl.*
„ *Theologus*, NULLUM *amplius, hac quidem in parte, in-*
„ *ter nos remanere* CERTAMEN : *ſolidumque me gaude-*
„ *re gaudium, quod moleſtiſſima, in tædiumque infinitum e-*
„ *xitura conflictatione in totum jam ſim liberatus, atque*
„ *exſolutus.* „

Appoſui, quod tunc temporis *ſecundo Excurſui* inſerere animus erat: „ *Lubenti interim volentique, ſpero, fue-*
„ *rit Viro Clariſſimo, ab his jam partibus plane diremto,*
„ *quin contra eas mecum nunc ſtanti, ſi procedente hoc Excur-*
„ *ſu ſomnia Rabbinorum, circa* INTERIOREM SANC-
„ TITATEM HEBRÆÆ LINGUÆ, *in clariore ponam*
„ *conſpectu; eoque ipſo confutem, ac configam.* „

Hoc propoſitum, Diſputationis fluctu ad alia me provehente, differre coactus fui; ne ordo tunc rerum conturbaretur.

Nunc per ſane opportuna mihi inde anſa miniſtratur, ad *Tertium* huncce *Excurſum* auſpicandum: quando quicquid prolaturus ſum *Kabbaliſticæ*, *Rabbinicæ*, *Hieroglyphicæ*, *Supernaturalis Sublimitatis*, qua *Linguam Hebræam* præ aliis omnibus Linguis *Divinitus fœtam* ſibi imaginati ſunt Doctores parum Sobrii, id omne a Clariſſimo *Theologo* jam condemnatum, atque procul a pomœriis Sacris faceſſere juſſum.

Tertii Excurſus ab hac conſenſione auſpicatio.

VII. Principem hic locum gradumque occupant *Kabbaliſtæ*; Judæorum *Myſtici* & *Fanatici* Doctores. Hi primi Titulum *Linguæ Sanctæ* condiderunt: atque Scholas *Rabbinorum* infinita inde vanitate, ac ſtultitia, referſerunt. Nempe ex eorum ſententia *Lingua Hebræa* non

Kabbaliſticum primo Syſtema delineatur.

Digitized by Google

ſolum *Luce* & *Sanctitate Eſſentiali* pollet, verum etiam *luminoſiſſima* ſua *claritate*, & *vibrantiſſimo omnium literarum fulgore*, ipſam Dei *Eſſentiam*, *cum* omnibus *Numinis infiniti virtutibus*, *perfectionibus*, *operationibusque*, tam *naturaliter*, quam *ſupernaturaliter*, intuendam, contemplandam, adorandam, præbet.

Hujus *Linguæ* ineffabili virtute ac potentia Mundum ajunt productum, univerſitatemque rerum ſuſtentari, vegetari, animari.

In ejuſdem *Linguæ Luce*, *perfectione*, *Eminentia*, *Sapientia*, conditum dicunt *Adamum*, tanquam Naturæ totius Dominum, Arbitrumque: ut potentiſſimo hocce freno cuncta, ejus nutui ſubjecta, moderaretur.

Addunt, per hujus *Linguæ* Sacratiſſimum tantummodo Canalem Deum inter & Homines commercium, atque communionem, coli poſſe: atque hanc eſſe *Myſticam Jacobi Scalam*, *per quam Angeli adſcendant*, *deſcendantque*; *hinc precum meditationumque piarum*, *illinc largitionum revelationumque Cœleſtium vectores*, *atque pararii.*

Pronunciant denique, hanc ſolam *Linguam* cum *Capacem* fuiſſe, tum *dignam*, qua *Lex Dei*, & *Sacroſancta vatum Oracula*, conciperentur, conſignarentur, & ſecundum decem *Myſticas potentias*, quas *Sephiroth* ſive *numerationes* appellitant, contemplationi fideli offerrentur.

Per hæc, & alia, omnis *Fanatismi* plena principia, Diſcipulis ſuis aperiunt *Quinquaginta portas prudentiæ*, & *duas atque triginta vias Sapientiæ*; ad quas cum Univerſitatem rerum obambulare, atque adeo penetrare ut *magni Philoſophi* queant: tum præſertim ut *conſummati Theologi* in communionem ac fruitionem intimam Patris Luminum ſeſe immergere magis magisque valeant.

Attribuunt præterea omnibus *Literis*, *Punctis*, *Apicibusque*, hujus *Linguæ*, *Hieroglyphicam* quandam *vim*, ac *Sapientiam*, quæ ex tribus fontibus perenni atque inexhauſta

Digitized by Google

hauſta luce manantibus, in Cultores *Linguæ Diviniſſimæ* exuberet, eoſque ſuavitatum ineffabilium dulcedine jugiter inebriet.

Horum primus aperitur per *Gematriam*, ut corrupte vocitant, id eſt *Geometriam*, ſive *Arithmeticam*, quæ numerali poteſtati, ac commenſioni cujusque Literæ inſiſtens, innumerabilia inde myſteria, ad inſtar igniculorum cœleſtium, extundat.

Alter fluit per *Notaricon*; a *Notariorum* arte ducta appellatione; cujus fœcunda ope quælibet Litera, quilibet *Legis* apiculus, integra pariat fundatque vocabula, atque arcanas Verbi cœleſtis divitias in immenſum accumulet.

Tertius per *Literarum* inter ſe *Commutationem*, atque *Siſram* quandam *Mathematicam*, recentibus ſemper ſcaturit venis, quatenus omnia *Alphabeti Hebraici* Elementa inter ſe *ſtationem permutare*, *viceſque amicas obire apta nata*, pro *una quingentas* profundant *Alphabeticas* tabellas: ſecundum quas omnia vocabula *Linguæ ſanctæ*, revolutione & *Metamorphoſi*, ut ſic dicam, *Alphabeticaria*, in infinita alia transformari atque admirabiliter tranſfundi queant.

VIII. Hujus *Sanctiſſimæ*, *Supernaturalis*, & vere *Divinæ Linguæ*, ut *Lucem radiantem*, ita *Clavim penetrantem* primo parenti traditam, ac commendatam dictitant; ſic tamen ut pro terrenis poſterorum ejus uſibus *craſſior* ſolummodo *materia*, & quaſi *cortex Literalis* inſerviret: *nucleus* autem & *medulla* ſpiritualis, ac ſublimioris, ſapientiæ, non niſi piis Dei Cultoribus guſtandus præberetur. Sic *Kabbala*, id eſt *Traditio*, ſive *ſcientia* & *Doctrina Cæleſtis per Traditionem* tantum *haurienda*, atque ad poſteritatem propaganda; cum Mundo, ſecundum hos Doctores, Originem cepit: atque ad *Moſis* uſque tempora haud interrupta ſucceſſione in *Linea ſancta* floruit.

Ejuſdem ſyſtematis Fanatici exceſſus continuantur.

Per *Moſen* deinceps Eidem *Kabbalæ* Lucis & perfectio-

ctionis impoſitus cumulus. Nempe quum in Monte ſacro, Dei in Contubernio, degeret, oblata Ei *Lex* fuit, *in globum igneum manu Dei inſculpta*, *per ignem fuſcum ſuper igne candido.*

In illo globo conglomerata omnia *Literarum Elementa*, nullamque certam, ac fixam, ſedem obtinentia, infinitudinem perfectionum Divinarum, atque Arcanorum Ejus theſauros inexhauſtos, Legislatori *Iſraëlis* contemplandas objiciebant, per omnes illas *Portas prudentiæ*, & *Vias ſapientiæ*, quas ſupra attigimus.

Ductor Ei in Divino hocce Labyrintho aderat S. *Spiritus*, qui Eum *Literas* omnes ad veram Dei mentem componere, diſſolvere, variare, omneſque in formas vocum ac ſententiarum digerere, atque colligare, edocuerit: eum in finem, ut populo *Corticem* tantum *Veritatum* ederet, *ſcripto* comprehenſum: Sapientibus autem *Myſteriorum medullam* orali traditione inculcaret; atque ad poſteros *ore* perpetim tranſmittendam iiſdem commendaret.

Hoc tamen Linguam Hebræam ſemper Vernaculam *reliquit.*

IX. Quam potui pauciſſimis *ſyſtema Kabbaliſticum* circa *interiorem ſanctitatem Linguæ Hebraicæ*, ejuſque arcanas virtutes, ac potentias, delineavi.

Si nunc cuncta hæc per Exempla illuminare vellem, cum ſpinarum aculeatiſſimarum tædio, vertiginem Lectoribus meis offunderem, rotantiſque capitis pœnam merito Liber e manibus vel elapſus, vel excuſſus, ſuſtineret.

Ceterum quantumvis *Kabbaliſtæ* in omnibus hiſce *Linguam Hebræam* infinitum quantum ſupra *Sphæram Humanitatis* ſubvexerint, eamque Luminibus immediate ex ipſo Deo emanantibus radiare, paſſim inculcent: nunquam tamen eo fuere progreſſi, ut *Vernaculum* Ejus *uſum Terræ*, populove *Iſraëlitico*, eripuerint.

Quid cauſæ? Repugnantia proferre maluerunt, quam eo

eo ſe demittere apertiſſimæ falſitatis, ubi omnis eorum gloriatio, & ſublimioris ſapientiæ jactatio, ſtatim revinci, confundique, potuiſſet.

XII. *Secundo loco*, in recenſione hac, luſtranda venit receptiſſima inter *Rabbinos* ſententia, qui quamvis omnem hanc *Kabbaliſticam* inanitatem non recipiant, multa tamen ejus contagione adflatos ſe oſtendunt: *Sanctitatem interiorem* tribuentes *Linguæ* ſuæ *Patriæ*; eamque ſupra reliquas *Linguas* evehentes varias ob rationes, a *Theologia*, *Philoſophia*, & *Philologia* ſaniore longe alieniſſimas. *Secundus Rabbinorum error valde contagioſus.*

א. Quod *Deus* & *Angeli* ea ſola utantur in cœlis, ac proinde Eam tanquam *cœleſtem* quandam *Dialectum* jure meritiſſimo reliquis mere *terreſtribus* præponi.

ב. Quod Ea tota ut *Originis*, ita *Auctoritatis Divinæ*, cum *Adamo* creata, Eidemque *Divinitus* vel *inſeminata*, vel *infuſa*, quoad *materiam*, *formam*, *conſtructionem*, *ſignificationemque* omnem, *naturas omnium rerum* non imperfecte adumbret, quæ vilior reliquarum Linguarum dos ſit; ſed perfectiſſime eaſdem exprimat, atque repræſentet; ſecundum earum *proprietates*, ac *poteſtates exteriores* ſimul, ſimul *interiores*: atque ita *Linguæ Philoſophicæ* eminens atque expreſſum ſiſtat Exemplar.

ג. Quod *Lex*, & *Sanctiſſima* Dei *Eloquia*, non niſi hac *Lingua Eminentiſſima* potuerint conſignari; quippe quorum *dignitas*, *perfectio*, *excellentia*, ac *majeſtas* nullam Linguam admitterent mere Humanam; aut ulla ratione ſub tam vilem ditionem, conditionemque, ſeſe ſubjungere potuiſſent.

ד. Quod *Sanctitas* & *Terræ*, & *Gentis*, *Iſraëliticæ*, unice quoque *Linguam* hancce *Sanctiſſimam* ſedibus, ædibusque ſuis, receptare meruerit; aliis *Gentibus* ab

Digitized by Google

ejus *uſu familiari*, ac *communione*, penitus excluſis.

XIII. Recenſeo tantum, nec quicquam nunc data opera confuto; cum quod ſemet talia ſatis jugulent; tum quod Cl. *Diſſertator* omnem illam *Sanctitatem Linguæ Hebrææ*, quam *Schola Rabbinica* crepat, nobiſcum ſine ulla exceptione repudiarit. Si tamen forte ex his *rationibus* exceptum quid, receptumve, voluerit, per me ſane id licebit, idque *integrum* Ei a mea quidem parte ſemper erit: non verborum enim captatorem me agere profiteor, ſed rerum diſceptatorem; qui non dolo, non furto, ſed aperto Marte, ſed virtute, veriſque armis, adjutante Divina gratia, vincere decrevi.

Tertia Hypotheſis Hieroglyphica, *multam vertiginem ferens.*

XIV. *Ad Chriſtianorum Scholas* deſcendenti, *Tertio* loco, occurrit *Syſtema Hieroglyphicum*, e *Kabbaliſtarum* fontibus palam hauſtum. Hoc *Divinam* quandam *virtutem*, ac *potentiam*, ipſis *Literarum* formis, figuriſque, aſſignans; atque inde *ſignificationes* mirificentiſſimas vocabulorum exſculpens; ſi non *interiorem* inſerit *Sanctitatem*, ſaltem *Supernaturalem* quandam *Sapientiam*, *Lucem*, *perfectionem*, ac *potentiam*, *Linguæ Hebrææ*, qua *Linguæ*, circumdat.

Nec tamen video ſublimioris hujus volatus Duces, Auſpiceſque, de *vernaculo Linguæ Hebrææ uſu* hactenus addubitaſſe: non convenienter *Syſtemati* illi quidem: niſi quod *Kabbaliſtico* more *craſſiorem* forte *corticem populo* relinquant; Sapientibus, ſibique, *Nucleum* reſervent.

Quartum commentum Hyperphyſicum *eorum qui* Philoſophari *volunt in* Ling. Hebr.

XV. In *Chriſtianorum Scholis* ſeſe, *Quarto*, offert, alia adhuc illuſio, qua *ſupernaturalis* quædam *granditas*, *gravitas*, *dignitas*, *excellentia*, *dotiumque completiſſimarum exaggeratio* attribuitur *Linguæ Hebrææ*, quam *integram*, *omnibuſque perfectionum numeris abſolutam in ſtatu innocentiæ*, cum *lapſu amiſſioneque Paradiſi* non quidem elapſam, amiſſamque penitus, ſed tamen miris modis imminutam, obſcu-

Digitized by Google

obſcuratamque, arbitrantur: niſi quod Ejus *primævum* Lumen, Decusque, in *Sacro Codice* omnem ſuum *ſplendorem ſupernaturalem* exerat, pleniſque ibi reſulgeat radiis. Jucundam enim vero imaginationem! ſed quæ propius examen ſuſtinere nequeat; quin penitius excuſſa, cum *Kabbaliſtarum principiis* intime connexa eſſe deprehendatur.

XVI. Talis *imago Linguæ Hebrææ* obverſata videtur Cl. *Guſſetio*, in *præfatione Commentarii* ſui, ubi repudiatis omnibus *humanis fontibus* unde *Linguæ Hebrææ notitia manavit*; *Cl. Guſſetius huic Syſtemati ex parte adfinis.*

1. *Dialectis* primo *Orientalibus*, *Chaldæa*, *Syra*, *Arabica*.
2. *Rabbinis Veteribus* ſimul, ac novis;
3. *Verſionibus priſcis*, ſine ulla exceptione.
4. *Verſionibus Recentioribus*, & *Vernaculis*, citra ullam limitationem;

Ita pergit. „ *Merito externis hiſce non contentus, me* „ *ad ipſam* LINGUAM HEBRAICAM *confero*; IN „ SCRIPTURIS, UBI RESIDET, *eam Contemplaturus &c. Hanc ſpes eſt* PROPRIA LUCE, SOLIS „ IN MODUM, SE IPSAM *nobis daturam ad cognoſcendum*: SOL *enim* QUIDAM LINGUARUM „ LINGUA HEBRAICA *jure habenda eſt: quae*, UT „ SOL SIDERUM PRIMUM EMICUIT, *ita extitit* „ *ante omnes alias*: *&* UT SOL INSITO FULGORE „ *ſe manifeſtat*, *nullius auxilio indigens*; VI SIMILI „ POLLET IPSA PER SE LINGUA HEBRÆA. „ &c. &c.

Hactenus parcens Viro mihi ſemper Honorando, cujus virtutem, manſuetudinem, bonitatem, adoleſcens admiratus fui, atque deinceps intime venerari non ceſſavi, *Abſurditatem* iſtius *Rhetoricationis* obiter tantum indi- *Palpabilis ejus abſurditas.*

Digitized by Google

cavi *Origin. Tom. II. p.* 188. 189. Nunc jubente & *Munere* quod ſuſtineo, & *Veritate*, in cujus ſolius verba juravi, confirmare auſim; Clariſſ. *Guſſetium* non expendiſſe ſatis quid diceret, atque oculos ſibimet ſplendida hac imagine præſtrinxiſſe: quum inde neceſſario conſequatur, *omnes in univerſum homines Doctos, indoctos, ſine ulla diſtinctione gentis, ætatis, ingenii, Linguæ Hebrææ claram, diſtinctam, profundam, ſuiſque numeris completam, notitiam haurire poſſe ex ſolo Contextus Hebraici adſpectu; haud ſecus atque omnes Sole colluſtrati illuminantur; eundemque, apertis modo oculis, diem accipiunt atque intromittunt.*

Hæc infinitæ abſurditatis, ac repugnantiæ, manifeſta, eo abducunt, quo nullus adhuc pervenit *Enthuſiaſmus*. Abſolvamus tamen Cl. *Guſſetium* ſuſpicione iſtac: nam non tantum *Linguam* hanc *Vernaculam* relinquit *Hebræis*, ſed ejus antiquiores poſſeſſores quoque conſtituit *Cananæos*, a quibus *Abrahamus* eam primus acceperit. En Viri verba *pag.* 1. *Comm. de Ling. Hebr.* ut appareat fruſtra eam nobis Auctoritatem obmoveri, quæ a noviçio hocce auſu, inventoque, toto Coelo diſſociata eſt. Sic exorditur. „ *Commentarios „ in Linguam Hebræam ſcribentem aliquid de ipſa Lingua „ Hebraica generatim Commentari non dedecet. Primo de cau- „ ſa ejus efficiente, a qua habuit ut in Mundo eſſet, ac ſer- „ varetur, nonnulla proferemus in medium. De ea re ſic „ cenſeo ſicque rationes ineo. Hebraica Lingua hominibus crea- „ tis ſtatim indita fuit. Sola ab illo tempore exiſtens, & „ uſque ad Babelem ſuperſtes, ubi aliæ Linguæ natæ ſunt, „ ipſa non deſiit eſſe, ſed inde ad Cananæos devoluta, ab „ illis tradita fuit Abrahamo.*

Adeone *Guſſetium* ne legiſſe quidem eos, qui ſe *Guſſetianos* gloriantur! Sed ſuſtineo me; &, ut *Excurſum* huncce ordiens dixi, de jure ſimul, ſimul de acie diſputandi ultro remitto; atque *Veritati* cla-

claram in lucem educendæ placidus, leniſque, incumbam.

XVII. Dixeris, Cl. *Guſſetium* cum ſua ſibi introductione hacce de *Lingua Hebræa Cananæis* æque, ac *Hebræis*, *Vernacula*, palam deſtruere quæcumque vel in *præfatione* præſtruxerat, vel *Univerſo* ſuo *Commentario* adſtruere laboravit. Sic eſt: nec primus ille, ſolusve, qui *Syſtema* ſuum vel non intellexerit ſatis, vel ſuamet manu, Veritate quaſi ex angulo erumpente, labefactarit. Larga Materies *Viæ Regiæ* brevi reſumendæ, ac continuandæ, deputatur.

Sibimet interim parum conſtans.

XVIII. Agmen opinionum, quibus *Lingua Hebræa* nimio Zelo extollitur, atque ſupra ſemet ipſam velut ſublimatur, claudat *Quinta* hæcce, qua contenditur, *hanc Linguam Homini primo* æque *Naturalem* fuiſſe atque *Rationem* ipſam; quippe quæ ſit omnium *Linguarum Rationabilis* maxime, earumque ſimul *Radix*, ac *Mater ſapientiſſima*. Sic judicabat olim *Poſtellus*, prodigium illud hominis, qui ſe omnes Orbis terrarum Linguas callere gloriabatur.

Quintum Commentum ſemi-Fanaticum.

Adjectum ab aliis, quorum adhuc nominibus parcam, *uſum Linguæ Hebrææ* cum *poſſeſſione imaginis divinæ* primis parentibus conceſſum, tanquam *prærogativam* aliquam *Coeleſtis gloriæ*: quippe quæ *Lingua inventorem Auctoremque* habens ſolum Deum, plena *Lucis*, *Veritatis*, *Perfectionis*, *perfectioni humanæ* ut inchoandæ, ita conſummandæ, unice ſit idonea.

Eſt & hæc propago *Kabbaliſmi*, *Linguam Hebræam* tanquam *ſcaturiginem omnis Sapientiæ* commendantis: in cujus *Luce* ortus ſit *Adamus*; per cujuſque *Lucem* quoque ſit conſummandus.

XIX. Cogitationes *Rationi*, *Philoſophiæ*, *Theologiæ* omni directa fronte adverſantes, ſuos tamen Admiratores nactæ, iis præſertim imponere, atque illudere, ſolent, qui

Digitized by Google

Linguæ Hebrææ ſtudium ex *Fontibus Literaturæ Humanioris*, atque ex *Dialectis Orientalibus*, excolendum eſſe negant; quod alia ſit natura *ſermonis Humani*, *Humaniorum Literarum* ope & luce indigi, alia *ſermonis Divini*, e *Divinioribus Metaphyſices principiis* illuſtrandi.

Tota aggreſſiuncula *Theologi Groningani*, qui ante biennium in palæſtram mecum deſcendere voluit, hinc animos ſibi, ſpiritusque, ſumſerat, in *Hieroglyphicas*, & vere *Kabbaliſticas* nunc inanias, præſtigiaſque, tandem exitura, & latebras ſibi ſub iis quæſitura.

Univerſus quoque *Commentarius* Cl. *Guſſetii*, in ea certe parte, qua *Origines Verborum* veſtigare conatur, plane *Metaphyſicus* eſt, atque abſtractis ideis homines in *Linguarum* cognitione interiore minus firmos præſtringit. Hinc etiam profectus *Bohlius Formales* illas ſuas, quas vocat, *ſignificationes*, id eſt *Origines*, ſive *primarias Radicum poteſtates*, in officina *Metaphyſica* conflare conatus fuit.

Nulla harum Hypotheſium Linguam Hebræam non Vernaculam *vel dubitare auſa.*

XX. Nemo interim eorum, qui ad poſtremam hancce claſſem pertinent, quantumvis *Hypotheſis* illuc impelleret, eo ſuſtinuit progredi, ut *Dubitationem* injiceret de LINGUA HEBRÆO-BIBLICA *forte* NON VERNACULA *Hebræis.*

Ea *Dubitatio* inaudita hactenus orbi inerudito juxta, ac Erudito; *Judaicis* æque, ac *Chriſtianis Scholis*, nuperrime demum exorta eſt, atque poſt annum *Triceſimum* hujus ſeculi, meumque ad *Academiam* acceſſum, ſerpere primum, mox gliſcere, Vireſque eundo ſumere; imperitis *Belgico* ſermone Lectoribus deinde inſinuari *Anno ſexto & triceſimo*; atque tandem per *diſſertationem de Lingua primæva* in Univerſam *Rempubl. Literatam* dimitti.

Hæc dubitatio novicia plane, & multo

Huic conatui, qui omnia *Fundamenta Eruditionis Hebraicæ*, ſimulque *firmamenta*, & *Ornamenta Reformationis* non ſollicitat, ſed funditus labefactat, ac delet, *primo*

meo

Digitized by Google

meo *Excurſu* ita obviam ivi, ut ne Parenti quidem majore cum Veneratione occurrere potuiſſem. *Secundus* acriorem admovere debuit manum, quod *Veritati* habitus non eſſet honos: quodque *Altera Editione* quæſitæ eſſent latebræ. *recentiſſima.*

Tertius hicce ita temperabitur, ut quicquid factum, *Religionis* & *Eruditionis* defendendæ Cauſa factum eſſe, appareat. *Ei retvincendæ opera hæcce deſtinatur.*

CAPUT SECUNDUM,

In quo

Argumentis ex ſinu interiore LINGUÆ HEBRÆÆ repetitis demonſtratur, Eam VERNACULAM fuiſſe.

XXI. Ut *Dubitatio* iſta, qua ſe Cl. *Theologus* implicuit, atque nubecula inde multorum oculis offuſa, diſcutiatur, in medium producam primo *manifeſtiſſima indicia*, atque *argumenta Vernaculi* alicujus *Sermonis*, quæ *Linguæ Hebrææ* intimus ſinus recondit; ejuſque *indolem*, *pronuntiationem*, *Analogiam*, *Familiam*, *cognationem*, univerſumque *ambitum* ſpectanti, claris documentis offert. *Acies prima ordinatur.*

XXII. In hoc cenſu, principe loco, venit *Linguæ Hebrææ natura*, & *indoles* ad *Leges* omnium *Linguarum humanarum* ſecundum *Grammaticam*, *Syntaxin*, *Rhetoricamque* cum *Facultatem*, tum *Artem*, conformata, ſeque explicans atque evolvens. *Primum pro Vernacula ditione Argumentum.*

Per

Digitized by Google

Per *Facultatem* intelligo principium *naturale* & *rationale*, ad quod *Linguæ humanæ* decurrunt. Per *artem* autem, *Methodicam* illius principii *Obſervationem*, *deductionem*, *demonſtrationemque*.

Omnis *Lingua* quæ ex duplici hoc Fonte percipi, tradique, poteſt, *humanos* agnoſcit *fines*, atque eo ipſo in *terris uſitata*, *hominibuſque domeſtica* ac *Vernacula* fuiſſe deprehenditur.

Jam vero *Linguæ Hebrææ notitiam* ex hoc gemino fonte per *Judæos* Doctores ad nos transmiſſam, quis tandem ignorat?

Hæc notitia ab illis rudiore penicillo, atque *Minerva*, inchoata; per *Chriſtianos*, ſeculis XVI.XVII.XVIII. conſpirante magnorum Virorum induſtria, feliciter promota eſt; ſplendidisque identidem lucis, ac gratiæ, acceſſionibus adaucta: ope *Literaturæ* qua *Orientalis*, qua *Occidentalis*. Hoc ut negari, vel & in dubium revocari, non poteſt; ita evidentiſſima inde ratione colligitur, conficiturque, *Linguam Hebræam* ad Leges *Linguarum humanarum* decurrere, ac propterea haud dubie in *Vernaculo Hebræorum uſu* viguiſſe.

Stringo nunc tantum argumentationem, quæ per *Grammatices*, *Syntaxeos*, & *Rhetorices* late fuſam ditionem latius diffundi poſſet; quia nullus dubito, quin docta ingenia continuo animadverſura ſint, quantæ hinc rationum, demonſtrationumque, copiæ undique mihi adfluant. Eas, ſi opus fuerit, alias in aciem educam.

Secundum argumentum pro Uſu Vernaculo.

XXIII. *Vernaculam*, ſecundo, fuiſſe *Linguam Hebræam*, evincit tota ratio *pronuntiationis*, ad *aures hominum* accommodata, per mutationes, variegationesque *punctorum Vocalium*, in *ſingulari*, in *plurali*, in ſtatu *Reginimis*, in ſtatu *Adfixionis*, omnique *forma Vocabulorum*, quæ in reliquis *Linguis humanis* obtinet.

Eſt

Eſt hoc iterum Argumentum, quod tango tantum; non enucleo. Qui ad *Elementa* modo prima *Linguæ Hebrææ* attendet paulo diligentius, vim demonſtrationis hujus continuo perſentiſcet: atque non immerito adverſus me indignaretur, ſi rei tam evidentis, ultroque in oculos omnium incurrentis, operoſiori Evictioni hac in parte inſiſterem.

XXIV. VERNACULAM, tertio, *uſuque quotidiano inter Hebræos tritam*, fuiſſe *Linguam Hebræo - Biblicam* (ut iſti appellationi, imperitos ludenti, ad momentum nunc indulgeam) extra omnem dubitationis aleam collocatur per *formas verborum imperfectorum*, quas vocant *Grammatici*, *Eliſione*, *Contractione*, *Quiete*, oriundas e *Verbis perfectis* ad molliorem, gratioremque, ut fit in *Linguis*, quotidiano uſu ſeſe polientibus, enunciationem. *Tertia demonſtratio uſus Vernaculi.*

Hæ *Formæ contractiores* longe lateque regnantes per *Linguæ Hebrææ* latifundia, Ei eandem ferme faciem ratione *Chaldaicæ*, *Syriacæ*, atque *Arabicæ Dialecti* addunt, quam in collatione ad *Græciæ Dialectos*, præfert *Attica:* plena & ipſa perpetuis *Contractionibus delicatis*, quas ex antiquiore *minus delicata* domeſticus *Athenienſium* uſus ſibi conflavit, atque expolivit.

Exemplis *Græcis*, *Hebraicisque*, ſuperſedeo; neque enim utriuſque *Linguæ Grammaticam* hic a me recludi par eſt. Qui primis tantum labris ſacra hæcce delibarunt, rem confeſtim intelligent, ſibique ipſis Exemplorum agmina præſtabunt.

XXV. *Vernaculam* fuiſſe *Linguam* qua Deus Oracula ſua edidit, conſcribique curavit, Sole meridiano clarius, *quarto*, elucet ex *Analogia*, *relatione*, *cognatione*, & *neceſſitudine*, quam omnes *Formæ* ac *Voces*, in *Codice Hebraico* nunc occurrentes, habuiſſe deprchenduntur cum aliis *formis*, *Vocibusque* innumerabilibus, quæ in *Bibliis* *Quarta ejuſdem evictio.*

 non

non extant, ſed *vivente*, ac *vigente*, olim *Lingua extiterunt*.

Ut uno ictu, conjectuque, oculi, infinita quædam materies ſub conſpectum veniat, cogitetur de vocabulis *ſemel*, *bis*, *terve*, tantummodo ſeſe offerentibus. Cogitetur de *ſingularibus*, quorum *pluralis*, de *pluralibus*, quorum *ſingularis* abſit. Cogitetur de *terminationibus fœmininis* e *maſculina* ſubnatis, auctisque; absque ut *maſculina* iſta in *Bibliis* compareat. Cogitetur de *conjugandi formis intenſivis*, *frequentativis*, aliisque, a *ſimplice* per has, illasve, *ſpecies* productis, atque propagatis, abſque ut *ſimplex* illa atque *primitiva ſpecies*, unde hæ *derivativæ* effloruerunt, uſpiam reperiatur. Ecquis *ramos* concipiat, ſine *trunco*, ac *Radice*? Ecquis *Sobolem* ſine *Matre*? Ecquis *combinationem*, *multiplicationemque*, ſine *unitate*? Multo minus fieri poteſt, ut hæc *vocabulorum Biblicorum* turba non habuerit ſuas *Radices*, *Formasve cognatas*, cum quibus *vivente* ac *florente in terris Lingua Hebræa* cohæſerint, atque *Analogiam*, quæ anima omnis Linguæ, rotundarint quam pulcherrime.

Qui hac de re dubitare volent, ſibi primum oculos eruant neceſſe eſt: ne cernant, quæ non paginæ, non verſiculi omnes, ſed omnes in univerſum *voces*, *formæque*, *Biblicæ* ultro ingerunt, atque inculcant.

Ulterius pergo; &, gnarus quid dicam, confirmo; quod hac de re dubitare, ſit *Linguam Hebræo-Biblicam*, pro cujus perfectione ſe ſtare putant, reddere omnium *Linguarum imperfectiſſimam*; *mutilam*, *mancam*, *cæcam*, *mille Anomaliis informem*, atque *per omnia* ſua *membra* miſere *contruncatam*; in qua nemo quicquam vel *Humanæ venuſtatis*, ac *pulchritudinis*, agnoſcat.

Magnus locus, & campus multo patentiſſimus, in quem contra *Metaphyſicos Linguæ Hebrææ Tractatores* pro-

progreſſus *viæ Regiæ* me ultro invitabit, atque immittet.

XXVI. Omni *dubitationi* eximit, quinto, *uſum Vernaculum Linguæ Hebrææ*, ejuſdem *cognatio*, & *conſanguinitas* cum *Lingua Chaldaica*, *Syriaca*, & *Arabica*, quæ tam *arcta*, tamque *naturalibus vinculis* per *omnem Linguæ ambitum* adſtricta, ut ne *conſanguinitas* quidem illa, atque *neceſſitudo*, quæ inter *Græciæ Dialectos Atticam*, *Ionicam*, *Æolicam*, & *Doricam* intercedit, interior, arctiorque, cenſeri queat. Mitto jam comparationes cum *Dialectis Germaniæ ſuperioris*, & *inferioris*, quæ longius a ſe invicem abeunt, atque deflectunt, quam *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Arabica Dialectus*, ab *Hebræa*.

Quintum pro Vernaculo uſu argumentum.

Si quis ſeculo *Decimo ſexto*, & *Decimo ſeptimo*, quæ nobis *Grammaticas Harmonicas*, & *Harmonica Lexica* ſub auſpiciis magnorum Virorum maximo numero pepererunt, *Harmoniam* iſtam publice in dubium devocare ſuſtinuiſſet, *Literas* haſce nunquam adſpexiſſe judicatus fuiſſet.

Ne noſtrum quidem ſeculum ſic retro in *Orientalibus* relapſum, ut non longe plurimi hac de veritate perſuaſiſſimi & ſint, & maneant: a nonnullis tantum per cuniculos tentatur, quod aperto Marte quatere non ſuſtinerent. Pulvis modo ab adverſariis noſtris cietur: contra puritatem *Dialecti Arabicæ* præſertim; nam in *Chaldæam* & *Syram* non tam animoſe inſurgitur; contra *Arabicam* ergo, quæ revera *Chaldaicam* & *Syriacam* puritate vincit, declamatur a duobus *Antagoniſtis*, quibus in palæſtram hancce, cujus oleo nunquam immaduerunt, non deſcendiſſe glorioſius fuiſſet: quum nihil aliud efficiant tandem, quam ut præcones inſcitiæ ſuæ ſemet præbeant, qui Judices ſedere audent in *Orbe Erudito* iis de rebus, quas diſcere faſtidiverunt.

Digitized by Google

Quum igitur *Dialectorum Chaldaicæ*, *Syriacæ*, & *Arabicæ* haud dubie ſumma ſit & conjunctio inter ipſas, & cum *Hebræa* cognatio, atque connexio; tam parum addubitari debet, *Hebræo-Biblicam Linguam* V. T. *Vernaculam* fuiſſe; quam ambigendum, *Græco-Biblicam Linguam* N. T. fuiſſe *Vernaculam*. Eſt Comparatio juſtiſſima; quæ nebulas omnes detergere queat. Contenditur *Linguam Hebræo-Biblicam ideo non eſſe Vernaculam forte*, quia *Deus oracula* ſua per eam tradidit, atque ſcripto conſignari curavit. Atquin *Veritas* ipſa, & *Completio Oraculorum*; atque adeo *medulla* omnis *Doctrinæ Coeleſtis*, per Linguam *Græco-Biblicam* non minore utique *Divinæ inſpirationis*, & *Auctoritatis*, gradu, conſignata habetur in *Novo Teſtamento*, quam in *Veteri*.

An inde jam arripietur, *eam Linguam* forte nunquam fuiſſe *Vernaculam?* Abſonum. Fac tamen, eo audaciæ proſiliri ab aliquo, qui *Novum* quidem *Teſtamentum* utcumque intelligat; ſed ad alios *Auctores Græcos* nunquam acceſſerit; quin, ut color diſputatori haud deeſt, ſic rem abſurdiſſimam colorare; *fieri non poſſe ut Vernaculus fuerit is ſermo inter Græcos, qui perpetuis Hebraiſmis ſit commixtus: quique a Spiritu Sancto viris* θεοπνεύστοις *immediate ſit inditus, atque ſuggeſtus.*

Quid tali *Cavillatori* reſponſurus eſſet Cl. *Theologus*, non exputo. Mihi quidem nil promtius occurreret, quam ut eum *Græcos Auctores*, quos hactenus temſiſſet, propius ſalutare juberem. Eadem hic valet reſponſio: nam *Lingua Hebræa V. T.* non plus differt a *Dialectis Orientis*, quam *Lingua Græca N. T.* diſtat a *Dialectis Græciæ*. Concludo, æque abſonum eſſe, & abhorrens, ut *Linguæ Hebræo-Biblicæ* talis controverſia moveatur, quam *Linguæ Græco-Biblicæ:* quin cuncta concuti, atque convelli, ſi huc uſque *Dubitationibus* quæſitis frena elaxentur.

XXVII. Profundius in cauſam deſcendo; atque *ſexto*, e *Dia-*

Digitized by Google

e *Dialectis Chaldaica*, *Syriaca*, & *Arabica*, quæ indubitato *Vernaculæ*, ditionem *Vernaculam Dialecti Hebraicæ* adſtruo, ex *mutua ope* & *luce* quam ſibi propter *intimam* illam, ac vere *conſanguineam neceſſitudinem*, ferunt. Nempe aliæ ſine aliis ad vivum pertentari, pernoſcique, non poſſunt. Nemo ſane *Atticæ Dialecti* ortum, progreſſum, venuſtatem, genuinam vim, formamque, rite dignoſcere aptus, niſi qui *Ionicam* ſimul percalleat; quemadmodum nec *Doricæ*, aut *Æolicæ* cognitione ullo pacto carere poteſt, qui ad omnem Naturam Linguæ, externam, internam, cum ſuis ſibi *Originibus*, ſeſe penetrare cupiet. In *Dialectis Germaniæ ſuperioris* & *inferioris* ſimillima res, & ratio. Ad eundem modum quid conſtituat *Hebraicæ Dialecti*, qua *Dialecti*, indolem, proprietatem, normam omnem; ejuſve venuſtatem, dignitatem, gravitatem nativam, ac domeſticam, qua inſignite præfulget; nec intelligere eſt, nec diſcernere, multo minus dijudicare, judicio ſubacto, firmo, veriſque *Literaturæ Sacræ* principiis ſubcincto, niſi quid reliquæ *Dialecti* in ſinu gerant, quibuſve flexibus e Communi *ſtirpe primæva* ſuccreverint, exploratum perſpectumque habeatur. Plura non addo, quod locum huncce in *Via Veteri* & *Regia Hebraizandi* ampliori luce perfundere deſtinarim, ut *Originationum* noſtrarum *Fundamenta* ac *firmamenta* ex hoc ipſo *principio*, id eſt *Naturali Curſu Dialectorum Orientalium*, validiſſime adſtructa, omnemque ſuper aleam ſubvecta, communem induſtriam magis magiſque provocent, atque inflamment.

Sexta probatio Vernaculæ conditionis.

XXVIII. Ad *Vernaculam rationem Linguæ Hebrææ* adſtringendam, ſecundum *Capitis* hujus lineamenta, *ſeptimo*, penitius adhuc in *Quæſtionem* me immergam; & Lectores meos ad *Cardinem* ipſam rei deducam. Ad *Linguæ Hebrææ notitiam*, quemadmodum ea nunc ſe habet, perventum eſt a *Judæis* æque ac *Chriſtianis*, vel per *immediatam Re-*

Septima ejuſdem pervictio.

Digitized by Google

velationem, cuique ſtudioſiſſimo Cultori factam; vel per *Traditionem*, *infallibili aliqua auctoritate* nixam; vel per *Fontes Literaturæ*, & *ſcientiæ*, quos providentia Hominibus induſtriis aperit, atque ſapientiſſime ſubminiſtrat.

א. Prius, id eſt *immediatæ Revelationis lumen*, apertiſſime *Fanaticum*, & ſupra quam dici poteſt abſurdum, ne *Kabbaliſtæ* quidem ipſi unquam ſibi arrogare auſi.

ב. Alterum, *Traditionem infallibilem* crepans, & nomen *Kabbalæ*, & omen peperit infauſtiſſimum, peſſimos foetus non per *Synagogam* ſolum, ſed & per *Eccleſiam*, daturum.

ג. Tertium, *fontes ſcientiæ* & *literaturæ* humanæ recludens, palam & ſupponit, & confirmat, *Linguam Hebræam*, qua *Linguam*, intra *fines humanos* contineri, atque in *Vernaculo* olim *domeſticoque uſu Hebræorum* viguiſſe.

Ad hos certiſſimos, ſaniſſimoſque calculos, inſtauratores illi *Linguæ patriæ* Rabbini, ſeculis X. XI. XII. ad lucem *Chaldaicæ*, & *Arabicæ* dialecti, *Grammaticas* & *Lexica* condere, magnificique moliminis fundamenta jacere, non dubitarunt. Seculis XIII. XIV. XV. ob rationes *Tomo II. Originum* tactas, & latius in *Via Regia* deducendas, ceſſatum; vel ſaltem nil magnopere profligatum a *Rabbinis*, uſu Vernaculo *Linguæ Arabicæ* ab illo tempore deſtitutis fere.

Jam vero quicquid in RABBINORUM vel *Commentariis*, vel *Lexicis*, fidum, firmum, ſolidum, id *Dialecti Chaldaicæ*, & *Arabicæ*, auctoritati ſuperſtructum. Reliqua ſub incerta *traditione*, vel *conjectatione*, fluctuant. Eadem conditio *Commentariorum*, ac *Lexicorum*, quæ induſtria concinnavit *Chriſtianorum*, poſtquam ſub aurora Reformationis Lampadem e manu *Judæorum* ſuſcepere. Ea tanto nitidior inter noſtrorum manus effulgeſcere ſemper, quanto pleniorem, purioremque, cognitionem *Dialectorum*

Orien-

Digitized by Google

Orientalium ſibi comparaſſent. Hoc qui negant, eodem jure ſolem in meridie lucere negent.

Concluſio hæc. Quicquid in *Verſionibus Belgica*, *Gallica*, *Anglica*, *Helvetica*, *Germanica*, aliiſve Vernaculis; quicquid ullis in *Commentariis*, *Lexiciſque* hominum Eruditorum, fidum, firmum, ſolidum, id omne in *Dialectorum* auctoritate fundatum. Hæc ſi abſit, *Traditio* exiſtit: vel &, quæ ruinoſior adhuc, *Imaginatio* in omnem facile exceſſum lapſura, & *Metaphyſicis* tandem *Vanitatibus*, q in *Fanatiſmo* illætabili, mentes Studioſorum infatuatura.

Hunc effugi non poſſe, cum ruina *Reformationis* univerſæ, omniſque veræ Lucis atque Eruditionis extinctione, ſi *Vernacula Veritas Linguæ Hebræo-Biblicæ* in Controverſiam vocetur; prima hac velitatione præluſum, præſtructumque, eſto.

CAPUT TERTIUM.

Quo

Ex POPULARI ſimul & SACRO uſu Linguæ Hebrææ eam VERNACULAM fuiſſe porro evincitur.

XXIX. Ad *Vernaculam* vim, ac ditionem, *Linguæ Hebrææ* ulterius pervincendam, patentiorem adhuc campum ingredior; quem mihi *exterior* hujus *Linguæ* uſus, cum *popularis*, tum *Sacer*, recludit, magniſque ſpatiis decurrendum offert. *Proſpectus ſecundæ aciei.*

In

In eum ſi me effuſis habenis immittere vellem, juſtum creſceret volumen, *Excurſioniſque brevioris* fines egredi deberem. Omiſſis itaque bene multis, in quæ tamen jus mihi meum reſervo, dilectum agam; & Specimina tantum quædam in medium dabo.

Octava Argumentorum infinitorum claſſis. Reſumo, *Octavo*, demonſtrationem meam ex *nominibus propriis hominum*, *urbium*, *locorum*, quæ omni pagina occurſant, in *Codice ſacro*. Hæc *e medio deſumta, popularia*, atque *Vernaculi ſermonis typo ſignata* fuiſſe; tam certum, tamque evidens, ut vim ſibimet facere deberet, qui hoc non continuo agnoſceret. Nempe omnia hæc, quatenus *Hebraicam Gentem* attingunt, ex una officina exiiſſe reperiuntur in *perſonis IMPIIS* juxta, *PIISQUE*; in *locis PROFANIS* æque, ac *SACRIS*: in *Urbibus*, in *Montibus*, in *Fluviis*; in univerſo omnis denominationis publicæ, privatæque, circulo & ambitu. Hanc e *Vernaculis Fontibus* hauſtam, eo minus in controverſiam mitti poteſt, quod neminem præterire queat, Antiquos in *nominum impoſitione* ſemper aliquid peculiare captaviſſe, quod in cognitionem publicam emitti, atque ad poſteritatis memoriam propagari geſtirent. Locum communem magnis multisque probationibus differtum, monſtro; neque enim ambigo, quin vel leviſſima reflexio cuilibet hic *Apodeixin* rei indubitatæ ſit ſubjectura.

Nona demonſtratio uſus popularis ac Vernaculi. XXX. *Vernaculam* fuiſſe *Linguam Hebræam* evidentiſſime, *nono*, liquet, ex *Varietate Pronuntiationis*, quæ inter ipſos *Iſraëlitas* in hoc *Patrio* omnium *ſermone* ſecundum *Literas duriores*, *molliores*ve, nec non *Vocales pinguiores*, *exilioreſve*, obtinuit. Quid intendam, notiſſimum illud, & Vulgi quoque noſtri ſermone concelebratum *Sibboleth*, & *Schibboleth* declarabit: de quo *Jud.* XII:6.

Uſum *popularem* vocabuli pure *Hebraici* Hiſtoria illa liquidiſſime comprobat. Sagax *Linguarum* Cultor inde conſimi-

ſimiles differentias in ipſa *Dialecto Hebraica* paſſim regnasſe, ſuo jure colligit. *Vernacularum omnium* experientia ſuccinit. Accinit quoque Copia haud exigua Vocum *Biblicarum*, inter quas multæ multis de mendo ſuſpectæ, quarum integritas ſive quoad *Literas*, ſive quoad *Vocales*, ex hoc fonte adverſus temeritatem *Criticam* unice ſuſtineri, ac defendi poteſt. Non injucunda materies alia, & liberiora, ſpatia requirit.

XXXI. Genti *Iſraëliticæ*, decimo, *Vernaculum* fuiſſe *ſermonem Hebræum*, vel ſi ita placet, *Hebræo-Biblicum*, dubitare non patitur *Carmen Triumphale*, quod de *Pharaone* decantatum ſolemniter a *Moſe* cum univerſo Coetu *Iſraëlis*, *Exod.* 15: 1-19. 21. *Epinicium* illud totius *Populi*, conceptum concelebratumque fuiſſe *Lingua* non *populari*, non tantum abhorret ab omni veri ſimilitudine, ſed Veritatem, dignitatem, gratiam, lætitiam, magnifici illius Triumphi plane extingueret, qui hoc contendere auderet. *Decimum Documentum ditionis Vernaculæ.*

Non debuiſſet proinde tam fidenter pronunciari in *Commentario Belgico de Chriſti ortu e Davide*; Verbis *Excurſ. II.* p. 154. reperiundis; *Iſraëlitas in Ægypto coactos fuiſſe ſub Tyrannide iſta Veterem Ægyptiam linguam loqui; ac ne MINIMUM quidem DOCUMENTUM POSITIVUM in caſta antiquitate reperiri, eos in Goſenitide HEBRÆAM LINGUAM tanquam VERNACULAM ſuam inter ſeſe locutos eſſe.* Hæc palam oppoſita ratiocinio, quo uſus ſum in *Oratione prima de Ling. Arab. Antiquiſſima origine, ſororia cum Hebræa adfinitate*, itemque *puritate* &c. *pag.* 18. 19. ubi ſic diſſerebam. *In Ægypti gravi illa*, ac *longinqua ſervitute, jam tum debuiſſet Lingua Iſraëlitarum degenerare, niſi ſeparata veluti, in Goſenis arvis, Reſpublica, patriique nominis & ſermonis amor, eam conſervaſſet.* Colliſio, qua nulla vehementior, magisque dire-

ctis frontibus arietans, dari queat: & tamen Cl. *Theologus* una ſecuri, uno ictu, omnia noſtra vetera, recentia, non ſucciſurus, ſed cum Radice ſimul & ſtirpe exciſurus; nuſpiam nos appetiiſſe, & *innocua* plane ſcriptione ſeſe oblectaſſe, videri nunc vellet.

Reflexio ad triſtem inſertionem Editionis ſecundæ.

XXXII. Si hoc Documentum *Hebræi ſermonis Hebræis in Ægypto Vernaculi* ſatis idoneum, atque illuſtre, habeatur, bene fuerit. Sin minus; *Decem* alia ex *caſtiſſima Antiquitate Moſaica*, quin complura, rem æque firmatura, promitto.

Non poſſum interim, quin hic occurram alteri adhuc ictui, quo & hoc & alia *Vernaculi ſermonis Hebræi* præſidia, atque firmamenta, ſubruere nititur Vir Clariſſimus *Alterius Editionis Paragr. IX. pag.* 213. 214. ubi pro *ſacro USU Linguæ Hebrææ* in familiis Patriarcharum, ſic inſtat, ſevera valde & triſti inſertione: „ *poſſemusque addere* (*quemadmodum ſupra pag.* 208. *monuimus*) „ *vero admodum ſimile eſſe, quod Patriarchæ Antediluviani* „ *myſteria fidei & ſalutis eadem illa Lingua, qua ea ex ore* „ *Dei acceperant, in domeſticos ſuos retulerint Commentarios;* „ *ex quibus Moſes moderante Eum Spiritu Sancto, ea quæ* „ *in Geneſi narravit, repetiit. Ut adeo hæc HEBRÆA LIN-* „ *GUA Iſraëli tunc temporis, quo Deus ſacra ſua per Mo-* „ *ſen ſcripto comprehendi juſſit, PER hunc SACRUM ejus* „ *apud eos USUM SATIS COGNITA; ac ſine FANA-* „ *TISMO* (*procul hinc procul ſunto* Profani. Calumniæ „ *enim* ingenii *ab his abeſſe debent Sacris. Nam apud Deum* „ *eſt* Tremenda Majeſtas !) *PERCEPTIBILIS ſatis* „ *fuerit. Hæc vero licet ſe ita habere videantur; non auderem tamen hoc pro certo atque indubitato adfirmare; quia* „ *etiam hic in quæſtione hac facti ſatis idoneis ac ſufficientibus hiſtoricis deſtituimur teſtimoniis.* „

Additamentum hocce, ut par eſſet, excipere ſi vellem, quid

quid non dicere poſſem? ſed ſuſtineo me. Inſultare non eſt meum. Tranſmitto adorabundus terribile fulmen *parentheſeos*. Transmitto reliqua omnia, largam materiam alias præbitura. Rogo ſimpliciter, ſi in *Terra Goſenis* degentes *Israëlitæ* nullum uſum domeſticum habuerint *Hebrææ Linguæ*; ſive *eam inter ſeſe tanquam vernaculam loqui non potuerint; ex converſatione cum Ægyptiis, ut & Tyrannide Exactorum Ægyptiorum, veterem Ægyptiam Linguam loqui coacti*: quo tandem pacto *Lingua* iſta per *Sacrum* ejus in familiis Patriarcharum *uſum* iis *ſatis cognita, ac ſine Fanatiſmo perceptibilis eſſe potuerit*? Omnia, mihi quidem, ipſis *Ægyptiacis* tenebris hic tenebricoſiora.

Si *Moſes* ipſe, Vir dictis factiſque potens, & omnis *Literaturæ* Sacræ, profanæ, promus condus, has tamen *Sacras Literas*, non niſi *moderante Spiritu Sancto* addiſcere, percipere, atque ad Hiſtoriam *Geneſeos* contexendam adhibere potuit; rogo iterum, quo tandem pacto fieri poſſit, ut *Lingua* tam *abſtracta*, tam *abſtruſa*, tam ſupra *ſenſus, uſuſque, humanos ſubvecta*, univerſo *Iſraëli* SATIS COGNITA *fuerit*?

Dicemusne, *Spiritum Sanctum* ejus notitia omnes ex æquo adflaſſe? Atqui hic *Fanatiſmus* purus putus, quem procul a ſe repulſum cupit Cl. *Theologus*.

Habueruntne, ergo, alios forte *Canales*, per quos *Notitia Sacri Sermonis*, in ſumma oblivione ipſius Religionis, & promiſſionis Patribus factæ, ad eos potuerit permanare?

Potueruntne, ſub graviſſimo ſervitutis jugo, tot viri, tot feminæ, tot pueri, puellæque; aliquot centena millia efficientes, ſibi cognitionem comparare *Linguæ*, quæ ipſis neutiquam *Vernacula* per *Oralem*, ſi forte hoc intendatur, *Traditionem*?

 Qui-

Digitized by Google

Quinam, quæſo, illi *Traditores*, *propagatoreſque Linguæ Sacræ* in tanto populo?

Iterum dico: Omnia hæc ſpiſſiſſimis *Ægypti* tenebris, mihi quidem, ſpiſſiora.

Hæ niſi diſſipentur, atque veritatis radio evincantur, non eſt quod amplius adverſus *Vernaculam Hebrææ Linguæ inter Hebræos ditionem* quicquam *dubitationis* infirmioribus oculis, animiſque, objiciatur: FACTUMQUE ipſo SOLE LUCIDIUS obnubiletur.

Undecima evictio Vernaculæ Poteſtatis. XXXIII. Accedo ad multo *illuſtrius* FACTUM: atque inde undecimo, *Vernaculum* ac *popularem uſum Linguæ Hebrææ* immotis fundamentis conſtabiliam: eoque educam firmitatis, ac faſtigii, ut ventulos omnes dubitationum quæſitarum ſecure in poſterum queat contemnere. Hæc eſt admirabilis illa *Revelatio*, & *Solemniſſima Legiſlatio*, qua Deus *populum ex Ægypto* eductum manu potentiſſima, in Fœdus ſuſcepit, atque ſacratiſſimis ſibi vinculis publice, inſpectante non *Iſraële* ſolum, ſed & Orbe univerſo veluti, conjunxit. Incipiamus a *Cap.* XIX. *Exod. vs.* 3. —— 6. *Et adſcendit Moſes in Montem, ad Deum; clamavitque ad Eum Jehova e Monte, dicendo: ſic dices domui Jacobi; & nunciabis Filiis Iſraëlis. Vos vidiſtis quid fecerim Ægyptiis; & quod ſuſcepero vos ſuper alas aquilarum, ut vos ad me adducerem. Nunc ergo ſi auſcultaveritis voci meæ; & cuſtodiveritis Fœdus meum; tunc eritis mihi peculium ex omnibus gentibus. Eritiſque mihi vos Regale Sacerdotium, & gens Sancta. Hæc ſunt* VERBA QUÆ LOQUERIS *ad Filios Iſraëlis* &c. &c.

Hæc *Facta*, atque a *populo accepta*, narrantur *vs.* 7. 8. Inde *vs.* 9. ſic pergitur. *Dixitque Jehova Moſi: Ecce Ego venio ad te denſitate nubili, ut* AUDIAT *populus, quum tecum Ego loquar: atque etiam* TIBI CREDANT *in æternum* &c. &c.

Se-

Sequitur *promulgatio Legis cap.* XX. *Exod. Et locutus eſt Deus omnia verba hæc dicendo. Ego ſum Jehova Deus tuus, qui te eduxi ex terra Ægypti, e Domo ſervitutis. Non erunt tibi Dii alieni coram Facie mea* &c. &c.

Hæc clare, diſtincteque, exaudita ab univerſo populo, & res ipſa declarat, nec ambigere ſinit *Moſes*: *Deut.* V. *vs.* 19. —— 24. OMNIA VERBA HÆCCE LOCUTUS *eſt Jehova ad univerſam panegyrin in monte, e medio ignis, & nubili, & opacæ caliginis* VOCE MAGNA; *nec addidit. Scripſitque ea duabus in tabulis lapideis; eaque mihi tradidit. Fuitque quum audiſſetis vocem iſtam e medio horridæ caliginis, monte ignibus ardeſcente, accedere feciſtis ad me omnia Capita tribuum veſtrarum, veſtrosque ſeniores. Dixiſtisque: ecce oſtendit nobis Jehova Deus noſter gloriam, magnitudinem ſuam; &* AUDIVIMUS VOCEM EJUS *e medio ignis: die hocce vidimus quod* JEHOVA LOQUATUR CUM HOMINE, *ſic ut vivus maneat. Nunc tamen, cur moreremur? nam abſumeret nos ignis hicce magnus* SI PERGEREMUS NOS IN AUDIENDO VOCEM JEHOVÆ DEI NOSTRI AMPLIUS; *& moreremur. Nam quæ univerſitas carnis*, (mortalium) *quæ* AUDIVERIT VOCEM DEI *vivi*, LOQUENTIS *e medio ignis, ſicut nos, & viva manſit? Accede Tu ergo, & audi, quæcumque dicet Jehova Deus noſter; ut eloquaris nobis omnia, quæ Jehova Deus noſter loquetur ad te; audiamusque, ac faciamus.*

Hæc longiuſcule excerpſi, ut omnes circumſtantiæ *Legiſlationis* tanto magis ferirent. Jam placide iterum rogo

Audivitne univerſus populus Deum loquentem verba hæc, *an non audivit?*

Intellexitne ea verba, *an non intellexit?*

Si *intellexit*, haud dubie *ex vernaculo uſu intellexit.*

Si *non intellexit*, ubi Legiſlatio? ubi Religio!

Plura adhuc habeo, quæ aliud in tempus ſepono: nam in præſenti ſat quæſtionum me poſuiſſe ſentio: & graviori armaturæ temperabo.

Duodecima inſtantia. XXXIV. Cum *Legis moralis promulgatione* connecto, *duodecimo*, reliquas omnes *conſtitutiones Ceremoniales*, ac *Forenſes*, quibus tota *Oeconomia Moſaïca* innixa. Has omnes *Lingua non Vernacula* conſcriptas, atque tum præſentibus, tum poſteris, ad religioſiſſimam obſervantiam in publico, in privato, injunctas, abſurditatum & repugnantiarum ſic undique ſcatet, ut nuſpiam non palpari queant. Quicquid *Legum Sanctionumve* conſignatum in *Libro Exodi*; in *Libro Levitici*; in *Libro Numerorum*; in *Deuteronomio*; ni *Vernaculum* fuiſſet, *vim* omnem, ac *religionem* ſuam amiſiſſet in gente, quæ præfracta cervice jugum ſuccutiebat, idque identidem excutere moliebatur.

Decima Tertia. XXXV. Evidentiſſimis FACTIS, QUÆSTIONEM FACTI infeliciter motam, confuto. Inter ea ſingularem locum ſibi, *decimo tertio*, depoſcit *mandatum* de *verbis Legis inſcribendis* in *lapideas moles*, ſtatim atque *Jordanem* trajeciſſent *Deut.* XXVIII. 2.-8. deque *Benedictione*, & *Maledictione* e montibus *Gerizim*, & *Ebal*, promulganda conceptiſſimis illis formulis, quæ a vs. 12. ad 26. ibidem expreſſæ, toto populo *Amen* ſucclamaturo. Id effectui datum enarratur *Joſ.* VIII. 30. -- 35. ubi in hæc deſinitur: *Deinde prælegit Joſua omnia verba Legis, Benedictionem, & Maledictionem, ſecundum omne quod ſcriptum in Libro Legis. Nihil fuit, ex omnibus iis quæ Moſes injunxit, quæ non prælegerit Joſua univerſæ panegyri Iſraëlis, & mulieribus, & multitudini puerorum; & peregrinis, in medio eorum verſantibus.* Qui hinc *Vernaculum Hebrææ Linguæ uſum* elucere non videt, is non oculis carere, ſed iis uti nolle cenſendus.

XXXVI.

XXXVI. Ejuſdem naturæ eſt Conſtitutio *Deut.* XXVI. vſ. 1-15. cui etiam, *decimo quarto*, peculiarem hic locum tribuo, quod multa habeat peculiaria, quæ *Vernaculum Hebræi Sermonis uſum ſanciant.* Præſcribitur ibi ſolemnitas *primitiarum* cum pompa, & lætitia publica, Deo ſiſtendarum a toto *Iſraële.* Præſcribuntur quoque Formulæ ſolemnes, iſta in Ceremonia adhibendæ, ad cultus publici ſanctimoniam, ac dignitatem, rite explendam. Qui hæc omnia iterum non ut *Vernacule* concepta, ita *Vernacule* prolata ab Omnibus ſtatueret *Iſraëlitis*, tale *Religionis* induceret genus, quod patres noſtri ex Eccleſia eliminatum, exploſumque, voluere. *Decima quarta.*

XXXVII. *Decimo quinto* hic comparere meretur *Canticum Moſis*; *Deut.* 32. quod & præſentis generationis intimis ſenſibus infixum, & poſteritatis perenni memoriæ, commentationique, inſculptum eſſe juſſit. Præmittitur *Cap.* XXXI. 30. *Et locutus eſt Moſes* IN AURIBUS UNIVERSI COETUS ISRAELITICI *Verba cantici hujus, ad finem eorum uſque.* Subnectitur clauſula non minus Emphatica *Cap.* XXXII. 44. 45. Carmen ipſum Caſtigationis, convictionis, commonitionis ardentiſſimæ plenum, *tonat*, *fulminat*, *aculeumque alte defigit.* *Quinta & decima confirmatio.*

Hæc cuncta iſtius *Carminis* LINGUAM ita *Vernaculam* fuiſſe comprobant, ut in *Quæſtione Facti* nunquam quicquam plenius, cumulatiuſque, adferri poſſit.

XXXVIII. Omiſſa longa ſerie demonſtrationum, quas *Libri Hiſtorici* omni *Capite* complures offerunt, eaſque Lectoribus meis colligendas relinquens, tædio diluendo; ad *Pſalmos*, decimo ſexto, prævertor. Hos publico cultui dicatos, atque ſolemniter decantatos fuiſſe in Templo a Choris *Levitarum*, ad *ſpem fidemque* totius *Iſraelis* fovendam, firmandam, in adventumque *Meſſiæ*, ac melioris *Oeconomiæ*, excitandam, una omnes mente ac voce tene- *Sexta & decima adſtructio.*

Digitized by Google

tenemus. Alios uſus, fructuſque, veræ Pietatis, Virtutis, Religionis, inde ad populum Dei, cum privatim, tum publice redundaſſe, ultro omnes conſciſcimus.

Hi fines illuſtres quo pacto attingi, atque obtineri potuerint, vel ex *Lectione* privata ſacrorum Hymnorum, vel ex eorundem cantu publico, ſi *Lingua Hebræa non* fuerit *Vernacula genti Iſraëliticæ*, explanari mihi velim.

a. An & hic in latebram illam ſe conjiciet Cl. *Diſſert.* per *ſacrum apud Iſraelitas uſum Linguæ Hebræo-Biblicæ eam* SATIS COGNITAM, *ac ſine Fanatiſmo perceptibilem ſemper manſiſſe?*

b. An potius dicetur; *non opus fuiſſe, ut Pſalmi ab omnibus Iſraëlitis intelligerentur?*

c. Suffeciſſe utique, ſi *Sacerdotes* & *Levitæ*, tanquam Ductores, Doctoreſque, gentis, eos populo publice, privatimve, explicuerint, ad ædificationemque in fide applicuerint Lingua Vulgari.

Interrogo tantum; non affingo quicquam: multo minus impingo: ne credo quidem, huc deventurum noſtrorum hominum quemquam. Si tamen eo forte deſcendatur, videbimus quid ut *Theologus* reſpondere debeam; qui nunc ut *Philologus* tantum mœnia ſacra defenſitare conor.

Decima ſeptima demonſtratio. XXXIX. Poſt *Davidem* obverſatur mihi, decimo ſeptimo, *Salomon*; & quidem in *Dedicatione* Templi ſui ſolemnes coram *panegyri Iſraëlis* preces effundens: 1 *Reg.* VIII. iſtius *Capitis vſ.* 22. ſignanter dicitur. *Stabatque Salomon ad Altare, e regione Univerſi Coetus Iſraëlis; & manus ſuas ad coelum expandebat.* Sequuntur deinde ea precationis vere Regalis Verba, quæ ut *pro populo concepta*, ita *a populo ſuſcepta*, conjunctiſque Votis, ad ſolium ſupremæ Majeſtatis allegata fuiſſe, nemo ambigere queat. Quæ ex *Proverbiis* Regis ſapientiſſimi ad eundem *uſum Vernaculum*

Digitized by Google

lum Linguæ Hebræo-Biblicæ, adfirmandum in medium conferri poſſent, citra ullum Cauſæ diſpendium omittere licet; curandumque potius, ut interius coërcito gyro, ad metam cita vehar rota; finemque longioris curſus contingam.

XL. Ad *Vernaculam*, decimo octavo, *vim Linguæ Hebraicæ* pervincendam, omnes *Prophetæ* juncta velut Phalange, junctoque umbone, mihi ſuccurrunt.

Octava & decima inſtantia magnis claſſibus urgere valida.

Hi ad populum nomine Dei miſſi, Doctrinæ ſalutaris internuncii, Vitiorum dominantium & *Idololatriæ* Caſtigatores, piorumque conſolatores publici, niſi publica, populari, gentique ſuæ Domeſtica, *Lingua* uſi fuiſſent, nec Miniſterium ſuum implere potuiſſent, & omnem ſibimet fidem, auctoritatemque, abrogaſſent, ea declamando *in auribus populi*, tanquam effata Dei, & fata certo certius ventura, quæ nemo intelligeret. Si regeratur, *Interpretes Sacræ* ſuæ, *populoque incognitæ Linguæ*, ſimul egiſſe *Prophetas*, vel eorum ſaltem *Amanuenſes* iſtoc functos officio, abſurditatum naſcetur congeries, moleſque; qua ſemet obruent, qui huc forte ſe recipere vellent.

Ut autem vates *Hebræi* Cauſam noſtram conjunctis ſuſtinent humeris; ita nemo eſt eorum, qui mihi non ſeorſum auxiliatricem manum, atque invictum robur, præſtet. *Eſajas* certe plus quam *viginti* argumenta ſingularia ſubminiſtrat. *Jeremias* ultra *quinquaginta*. *Eſechiel* non minorem numerum. *Daniel*, & reliqua cohors ſacra, ampliorem. Sed jam delaſſatus, vereor ne & laſſans, inſtantiis eadem perpetuo chorda euntibus, & nil probantibus, quam quod ſuamet luce præradiat, ex omnique pagina *Biblica* reſplendet, telam hancce illuſtrium locorum, quæ *Vivum uſum Linguæ Hebr.* tanquam FACTUM *maniſeſtiſſimum conſtabiliant*, abrumpo; eamque me, ſic quidem, nunquam reſumturum eſſe, & ſpero, & confido.

Digitized by Google

Decimanona Erudita philologis instructio, per Cl. Alting; jam facta.

XLI. Laudanda mihi, *decimo nono*, ut *Capiti* huic ſplendidam non minus, quam convenientem Coronidem imponam, *duplex Diſſertatio Philologica Jacobi Altingii*, Viri ſine controverſia Magni, atque de rebus noſtris præclariſſime meriti. Prima inſcribitur, *de Conſtantia Vernaculæ Judæis Hebrææ Linguæ in Captivitate Babylonica.* Altera; *de tempore coeptarum*, & *uſurpatarum*, *in Eccleſia*, *Verſionum S. Scripturæ.* Utraque ad cauſam noſtram intime pertinet.

Prior oppoſita eſt Vulgari opinioni *Judæorum* fere ac *Chriſtianorum* omnium, in *Babylonica Captivitate popularem uſum ſermonis Hebræi ceſſaſſe*, *paucis ſolum*, *Sacerdotibus maxime*, *ac Judicibus*, *notitiam ejus conſervantibus.*

Præfatus, *Veritatem iſti traditioni adverſari*, *cui jugo tyrannidis excuſſo*, *accedendum ſit*; & invidiam deprecatus *Contentioſi*, ac *novaturientis*, ita torrenti adverſus procedit, ut,

א. *Octo* primum *Argumentis probet*, *durante Captivitate Babylonica ſermonem Hebræum Hebræis Vernaculum manſiſſe.*

ב. *Decem* aliis deinde firmet, *in patriam reduces e Captivitate*, *ejuſdem ſermonis Hebræi Vernaculum uſum retinuiſſe ultra tempora Alexandri Magni.*

Poſterior huic arctiſſime connexa, preſſius inſiſtit in cauſas *mutatæ* primum, mox *amiſſæ* poſt *Alexandri Magni* tempeſtatem *Loquelæ Hebraicæ:* ab eaque *Epocha* neceſſitatem *Sacræ Scripturæ* in *Chaldæum*, *Syrum*, *Græcumve Sermonem* convertendæ, pro *Judæis* non niſi *Chaldaice*, *Syriace*, aut *Græce* intelligentibus perdocte, ſolideque, derivat.

Luculentæ, lætæ, fœcundæ, in omnem *Eruditionem*, & *Literaturam*, materiæ; quibus ut locus, ita & cura, progreſſu *Viæ Regiæ Hebraizandi*, Deo dante, impertietur.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Quo

Vivus & Vernaculus uſus Linguæ Hebrææ demonſtratur ex eo; quod INTERMORTUAM *eam eſſe, cum nemo dubitet, tum omnes Ejus partes in Bibliis reliquæ atteſtentur.*

XLII. A *Coronide* prægreſſi *Capitis* nova mihi, *viceſimo*, anſa, nova ſubnaſcitur materies, ad *Vernaculi* olim *uſus* certitudinem ſtabiliendam, in *Lingua*, quam vel *Captivitate Babylonica*, vel longiuſcule poſt eam, ſub jugo *Syro-Macedonum* demum, degeneraſſe, atque deinceps cum *Chaldaica*, & *Syriaca*, in totum *defeciſſe*, conſpirantes *omnium Eruditorum* ſenſus calculique tenent. *In Novum* Viceſimo loco *deſcenditur Campum.*

XLIII. Ut qui mihi *ſingulariſſimam ſententiam*, invidiæ ad indoctum vulgus conflandæ cauſa, contra liquidiſſimam veritatem, & revictionem, objectare non ceſſant, ipſi *ſingulariſſimi*, & nullius ſocietatis Doctores, reperiantur, offuciæ mihi diſſipandæ, quibus ſemet primum, deinde alios, miſerum in modum implicare atque eludere conſueverunt. *Verbum* Dei, *Verbum* revelationis, *Verbum* Fidei & Salutis, cum in *Veteri*, tum in *Novo Teſtamento*, absque controverſia eſt *Verbum vivum*, INTEGRUM, *incorruptum*, *immortale*, *nullo* DEFECTU *laborans*, undique *completum*, ſuiſque *partibus*, ac *numeris perfectiſſimum*. Verbum *Dei, non eſt* Lingua *hæc, illa.*

Illud *Verbum* non ſitum eſt in *Literis*, *Syllabis*, *Vocibus* hoc vel illo modo conſtructis, prolatisve; ſed in *Ve-* *Indecora confuſio.*

Veritate, & in *medulla Spirituali Doctrinæ* ipſius.

Qui *Linguam*, qua *Linguam*, iſti *Verbo* aliquid *Divini* conferre, ac contribuere, autumat, eo ipſo *Spiritu* ac *Veritate* carere deprenditur, atque ad *Judaiſmum* vel *craſſiorem*, vel *ſubtiliorem* &. *Kabbaliſticum*, imprudentiſſime delabitur.

Qui *Linguam*, qua *Linguam*, ſibi imaginatur *incorruptam in ſe*, vel dicam potius *incorruptibilem*, *immortalem*; *nulli* DEFECTUI, *nulli immutationi*, *decremento*, *corruptioni*, *interitui obnoxiam*, concipit aliquid, quod cum *Theologia*, *Philoſophia*, *Ratione*, *Experientia*, e diametro pugnat.

Qui ergo diceret, *Linguam Hebræam*, qua *Linguam in ſe*, & *per ſe*, eſſe *Linguam* ſemper *vivam*, ſemper *florentem*, *immarceſcibilem*, *incorruptibilem*, cujus *omnes & ſingulæ voces*, *omnes & ſingulæ ſignificationes*, ac *Conſtructiones*, perenni *flore* ac *honore* vigeant, atque *ab omni omnino ſpecie Corruptionis*, ut olim, ita nunc, *intactæ* perdurent: is id diceret unde omnes, quibus mens non læva, ultro reſilirent: atque ipſos *Kabbaliſtas* imaginationis nihil non ſibi permittentis calore exſuperaſſe, merito ab omnibus judicaretur.

Lingua Hebræa *haud dubie emortua.*

Hinc factum, ut per omnem ſeculorum memoriam nemo adhuc, plane nemo, eo ſeſe efferre auſus fuerit, ut negarit: *Linguam Hebræam*, *qua Linguam*, INTERMORTUAM *eſſe*; *eiuſque* RELIQUIAS *tantum in Sacro Codice ſupereſſe*.

Illuſiones quibus ſemet multi

XLIV. Quum tamen hoc negaſſe, eorum intereſſet unice, qui *Dialectis* auctoritatem abrogare moliebantur, Error, in ſui deceptionem callidiſſimus Artifex, *noviciam* fabricavit *appellationem* LINGUÆ HEBRÆO-BIBLICÆ; graviores adhuc illuſiones parituram inter *Chriſtianos*,

quam

Digitized by Google

quam *Linguæ Sanctæ Titulus* inter *Kabbaliſtas*, & *Rabbinos*, pepererat. *implicuere.*

Scilicet quum *Biblia* exhibeant *Verbum Dei*, & *Verbum* cum *Lingua* facile confundi queat ab hominibus parum vel accuratis, vel attentis, LINGUÆ HEBRÆO-BIBLICÆ audacter adſcribere coeperunt *Metaphyſici* illi *Literatores*, qui *Dialectos* exploſas vellent, quod *Linguæ Hebrææ* adſcribere nunquam ſuſtinuiſſent.

Cur Linguæ Hebræo-Biblicæ *appellatio his diebus introducta ſit.*

Pronunciet quis magna cum auctoritate, *Linguam Hebræo-Biblicam*, quæ *ſacratiſſima* Dei *Oracula* nobis offert, eſſe *integerrimam*, *omnibus ſuis partibus completiſſimam*; NULLO DEFECTU LABORANTEM, *nulla* CORRUPTIONE AFFECTAM; *ſed Divina providentia mirabiliter conſervatam in hunc uſque diem*; continuo aſſentientes habebit omnes, qui *Verbi Divini reverentia* tenentur: autumant enim de *Verbo ipſo* rem eſſe, in quod omnia iſta ex vero competunt: ac proinde talis *Theologi*, ſi forte, cum *pietatem*, tum *Zelum* pro *integritate Verbi Sacro-Sancti*, majorem in modum dilaudabunt.

Idem tamen *Theologus* pronuntiet, LINGUAM HEBRÆAM, *qua* LINGUAM, *in ſe*, & *per ſe*, *in hunc diem eſſe & manere integram*, *omnibus ſuis partibus completam*, *nullo* DEFECTU *imminutam*, *incorruptam*, quin *incorruptibilem*, ſemper *Vivam*, ſemper *florentem*: jam vel *auribus ſuis credet nemo*, ne illiteratiſſimus quidem mortalis; vel ſaltem eaſdem cum indignatione concutiet; atque citra ullam hæſitationem *Fanaticum* eſſe aſſertum, omni *Experientiæ Rationique* adverſum, viciſſim pronuntiabit.

Præſtigiæ Kabbaliſticæ iſtius appellationis.

XLV. Ut *Academiam patriam*, cui impenſe faveo, & *noſtram*, cui omnia debeo, liberem infinita illa deluſione, quam *Titulus Linguæ Hebræo-Biblicæ* & jam invexit, & ulterius provecturus eſſet, ſi non quantocyus ei occurre-

 retur,

retur, ſecundum ſanctiſſimam *Muneris publici* obligationem; ut *fontes* detexi *Erroris*, ex *Kabbaliſmo* haud dubie manantis, ita *ſcopum* nunc breviter nudabo, in quem male fauſtam iſtam appellationem per obliquos flexus tendere video.

Prima nebula hinc oculis offuſa. *A.* Sub Titulo *Linguæ Hebræo-Biblicæ* ergo, *primo*, velatur, oculiſque artificioſiſſime ſubducitur omnium Abſurdorum abſurdiſſimum, *Totam Linguam Hebræam intra Cancellos Bibliorum contineri.* Hoc ne ipſi quidem *Kabbaliſtæ* unquam contenderunt, cum omni illa *eſſentiali ſanctitate*, quam *Fanatiſmo* ſuo rotati *Linguæ Hebraicæ* inſeverunt. Vide jam, quam levi niſu huc ſeſe faſtigii extulerit *Metaphyſica Hebraizatio* noſtrorum, qui ob *graviſſimas rationes* pro *Lingua Hebræa* nobis *Linguam Hebræo-Biblicam* conflarunt.

Ea extra controverſiam *tota*, *quanta quanta*, *intra cancellos Biblicos continetur.* Nempe & *Latino-Terentiana Lingua tota*, *quanta*, *haud dubie in Terentio:* ut comparatione Cl. *Diſſertatoris* utar, *ſecundæ Editioni* adverſus nos inſerta; *pag.* 233.

Secunda nebula. *B.* Sub *titulo Linguæ Hebræo-Biblicæ* non minus artificioſe, *ſecundo*, excluduntur DEFECTUS *omnes*, quibus ſarciendis poſt principes in *Literatura Orientali* Viros operam noſtram dicavimus. Nil limpidius nempe hac ſequela: *Fieri non poſſe ut quicquam de Lingua Hebræo-Biblica* DEFICIAT *in Bibliis.* Nempe nec de *Lingua Latino-Terentiana quicquam in Terentio deficit.*

Tertia nebula. *C.* Sub *titulo Linguæ Hebræo-Biblicæ* ſubtiliſſime, *tertio*, vel retinetur, vel recuperatur, id *ſanctitatis*, & *ſupernaturalis majeſtatis*, quod ſub *Kabbaliſtica* & *Rabbinica appellatione Linguæ Sanctæ* ſeſe amplius ſuſtinere non audebat.

Quis neget certe *Linguam Hebræo-Biblicam* eſſe *Sanctiſſimam*,

Digitized by Google

ſimam, omniſque *Perfectionis*, *Evidentiæ*, *Sapientiæ*, *Luciſque Divinæ* plenam?

D. Sub titulo *Linguæ Hebræo-Biblicæ*, *quarto*, pes figitur in *Divinam totius illius Linguæ Originem*, & *Auctoritatem*: quum nemo non agnoſcat, TOTAM SCRIPTURAM DIVINITUS ESSE INSPIRATAM. 2 *Tim.* III. 16. *Quarta nebula.*

E. Hinc, *quinto*, ſub ejuſdem *tituli* favore pie, ſancteque, contenditur, prout in *Additamento Apologetico* denuo inculcatum: *parag.* L. „ DEUM *mentem ſuam* hac „ *Hebræo-Biblica Lingua* quam *clariſſime*, *perfectiſſime*, *liquidiſſime*, *efficaciſſime*, ac *ſapientiſſime* explicaſſe: ut „ ad eam *Dei* mentem in *contextu Hebræo-Biblico* clare „ ac diſtincte percipiendam, nil niſi hujus *Linguæ Hebræo-Biblicæ* (modo Spiritus Sanctus lectioni noſtræ aſ„ ſiduæ, & meditationi piæ adſpiret) juſta requiratur „ cognitio. „ *Quinta obnubilatio densa valde.*

In Editione *prima*, & *ſecunda* habebamus: „ Ut adeo „ *Lingua Hebræo-Biblica* haberi debeat *pro ſingulari* plane „ Lingua cujus monumenta voluit Deus *nuſquam* niſi „ *in ſolis Veteris Teſtamenti* conſervari *Libris*. „

Nempe & *Latino-Terentianæ Linguæ* monumenta in ſolo *Terentio* reperiunda. Pergit Cl. *Diſſert.* „ Quare etiam „ *hæc Hebræo-Biblica Lingua*, ſecundum nativam ſuam „ explicari non poteſt indolem, niſi ejus interpres *aſſidua* Sacrorum Bibliorum *lectione*: atque *attentiſſima* & „ *pia* argumenti eorum *meditatione*, eam ſibi reddiderit „ familiariſſimam: atque inde, tanquam UNICO eorum „ FONTE, *omnium* ejus *Vocabulorum* ac *particularum* „ uſum, & *conſtructionem* quam perſpectiſſimam, habeat. „

Nempe nec *Terentium* rite explicare poteſt, qui eum non contriverit legendo: ut inde *omnium* Ejus *Vocabulorum*, & *particu-*

ticularum uſum, & *conſtructionem, quam perſpectiſſimam habeat.*

Cave credas collationem haud quadrare ad materiam noſtram. Immediate enim ſubnexum a Cl. *Diſſertatore*, *Editionis ſecundæ p.* 233.

„ Ut enim *Ciceronis Latinitas*, non niſi ex *Cicerone*; &
„ *Terentii Latinitas* non niſi ex *Terentio* erui ac demonſtra-
„ ri poſſunt: ſic *Lingua Hebræo-Biblica* non niſi ex *contex-*
„ *tu Hebræo-Biblico* erui, ac demonſtrari poteſt. „

Concedo totum argumentum, prout *Verba* jacent. Quoad *mentem* non concedo. Abſurditas omnium oculis ultro ſe ingerit. *Eruere* & *demonſtrare* ſunt voces ancipites: vel enim ſignificationem præbent *recenſionis per Concordantiam*, ut ſic dicam, *Ciceronianam* aut *Terentianam*: Vel per *eruere* & *demonſtrare* intelligitur *omnes uſus vocum*, non *ſecundarios* ſolum, ſed & *primarios* oſtendere, in claramque lucem dare; cum omni *Etymologia*, *Emphaſi*, *Origine*: omni denique *natura*, *indole*, *vi*, *amplitudine*, quam *voces* illæ unquam in *Latina Lingua* obtinuerunt, atque exeruerunt.

Prius ſi innuatur; nihil ad rem: poſterius telum *Cauſam* Cl. *Diſſert.* configit. Certe qui ad *Terentii Latinitatem eruendam*, intimeque diſcipulis *demonſtrandam*, intra *Terentii* cancellos omnem ſuam *Lectionem Latinam* continuiſſet, qualis tandem *Linguæ Latinæ* eſſet Magiſter? Ne eum quidem *Magiſtrum* ſatis *Latine callere Latina* ſanciret *Eruditio*, qui per totam vitam in *ſolo Cicerone* ſeſe occupaſſet; aliis *Latinis Fontibus*, præ *Ciceroniana puritate* contemtis. Talis homo ne unam quidem *Orationem Ciceronis* condigne explanare; multo minus *Origines Latinas* promere poſſet.

Si vel ad poſterius hoc, cum iis quæ jam in *Via Veteri* ac *Regia* primis lineolis informare cœpi, reflectere vellent, qui in *Origines* noſtras *Hebraicas* inſurgunt, ſocias continuo dextras jungerent. Sed hoc alias. Nunc videamus reliqua inſertionis. Sic pergitur itaque: „ Qua-

„ re

Digitized by Google

„ re etiam *Quintilianum* illud, quod de *Cicerone* dixit, hic
„ recte accommodare poſſe videmur: Ille ſe multum pro-
„ feciſſe exiſtimet, cui *contextus Hebræo-Biblicus* valde
„ *placere* incipit. Qui vero *Linguam Hebræo-Biblicam*,
„ ejusque *Vocabulorum notiones aliunde eruere* ac demonſtrare
„ moliuntur, illi committunt, ut loquuntur *Logici*, non tan-
„ tum *petitionem principii*, ſed & IGNORATIONEM
„ ELENCHI.„

Nunquam in tam abſonas ratiocinationes ſeſe impli-cuiſſet Cl. *Diſſertator*, niſi per appellationem *Linguæ Hebræo-Biblicæ* ſemet primum luſiſſet. Nobisne *non placeat contextus Hebræo-Biblicus*, qui Eum *dies noctesque volutamus*; Eidemque omnes noſtras curas, ac cogitationes ſacramus? Nobisne *non valde placeat contextus Hebræo-Biblicus*, qui ad Eum penitius intelligendum, *Dialectos* omnes addiſcere non detrectamus? *Retorſioni* locus eſſet; & quidem ſeveriori. Sed tempero: contentus anſam totius *Paralogiſmi* oculis, manibusque, palpandam præbuiſſe.

F. Ejusdem *tituli* præſidio, *ſexto*, non ſolum *Dialecti* magna cum confidentia a pomoeriis *Linguæ Hebræo-Biblicæ* aſpelluntur, resque ſibi ſuas habere jubentur: ſed etiam grandis nobis dica impingitur, *Dialectorum* opem lucemque ſtudioſæ juventuti commendantibus, quaſi Sacra noſtra minueremus, qui *puriſſimæ Linguæ Hebræo-Biblicæ peregrinam* admiſceamus *ſpurcitiem*; ac *Spiritui Sancto ſenſus alienos obtrudamus*. *Sexta nebula.*

G. Denique, ſub *Titulo Linguæ Hebræo-Biblicæ* tanquam ſub *Palladis Ægide* quadam *Divina*, ſe in publicum dare, Victricemque ſeſe inferre auſa fuit infeliciſſima illa *Dubitatio*, quacum jam conflictor: nam *Linguam Hebræo-Biblicam* ſupra *Humanam* evehere *conditionem*, atque *Cæleſte* Eidem *Lumen* ac *Decus* circumdare; nihil habet prima *Septima nubilatio.*

Ee fron-

Digitized by Google

fronte quod deterreat: quin potius ad *Dignitatem*, *ſanctitatem*, *Eminentiam* VERBI admirabiliter facere videtur iis, qui ſe ſpecie ducendos præbent.

Radiolus quo nebulæ hæ diſcutiuntur. XLV. Cuncta hæcce illuſionis plena eſſe, jam peritis apparuit: imperiti idem ſentient, ſi modo pro *Hebræo-Biblica Lingua*, demta acceſſione illa novicia, præciſim, ut par eſt, *Hebræam* appellent *Linguam*. Brevis reſumtio, & diſcuſſiuncula, rem omnium oculis ſubjiciet.

Primus radiolus. Dicatur, *primo*, non, *Lingua Hebræo-Biblica tota eſt in Bibliis*: eſt enim *jocularis* plane *enunciatio*: ſed, *Lingua Hebræa tota eſt in Bibliis*; & abſurditatis ac repugnantiæ omnis cumulum hac *enunciatione* contineri, nemo non continuo animadvertet.

Secundus. Dicatur, *ſecundo*, non, *ex Lingua Hebræo-Biblica nihil* DEFICIT *in Bibliis*: nam & hoc *joculare*: ſed, *ex tota Lingua Hebræa nihil* DEFICIT. Ejus *omnes* & *ſingulæ voces*; *omnes* & *ſingulæ ſignificationes*; *primariæ* ac *ſecundariæ* peræque; *omnes* ac *ſingulæ Conſtructiones* præ manibus ſunt. Quin *Integerrimum*, ac *Completiſſimum Linguæ Hebrææ Corpus*, ſine ullo DEFECTU, ſine ulla *imminutione* ullius *Vocis*, *ſignificationis*, *formæ*, *Originis*, intra *Cancellos Sacri Codicis* continetur. Non eſt, quod verear, adeo frontem de rebus periiſſe, ut quiſquam mortalium huc inverecundiæ evehatur.

Tertius. Dicatur, *tertio*, non, *Lingua Hebræo Biblica* eſt *omnis perfectionis*, *Evidentiæ*, *Sapientiæ*, *Lucis* pleniſſima, nam & ego hoc ipſum doceo, ac demonſtro, qua publice, qua privatim: ſed, *Lingua Hebræa id* poſſidet *perfectionis*, *Sapientiæ*, *Evidentiæ*, *Lucis*; quod eam efficiat *omnium Linguarum Diviniſſimam*, *immortalem*, *incorruptibilem*, ab *omni omnino contagione*, *imminutione*, *interitione*, *tutam*: & perſentiſces aliquid, quod ne *Kabbaliſtæ* quidem adfirmare ſuſtinuiſſent.

Di-

Digitized by Google

Dicatur, *quarto*, non, *Lingua Hebræo-Biblica* eſt *Divinæ plane Originis*, & *Auctoritatis*: ut *Cap.* IV. *par.* 1. *Diſſ.* de *Ling. prim.* inculcatur. Eadem & nobis ſententia, eadem ſedet Veneratio, atque religio, erga *Codicem Sacrum.* Sed rotundis verbis dicatur, LINGUA HEBRÆA *per omnem ſeculorum ſeriem* DIVINAM *obtinuit* ORIGINEM & AUCTORITATEM; *& non niſi adflante* DEI SPIRITU *vel concipi potuit, vel conſtrui, vel enunciari*: & continuo animadvertetur tale præcipitium *Fanatiſmi*; unde ultro quiſque debeat reſilire. *Quartus.*

Dicatur, *quinto*, non, *Lingua Hebræo-Biblica* ea eſt, qua DEUS *mentem ſuam quam clariſſime, perfectiſſime, liquidiſſime, efficaciſſime*, explicuerit; nemo enim negat: ſed dicatur; LINGUA HEBRÆA, *qua Lingua, in ſe, & per ſe, ſuamque Naturam*, TALIS EST; *ut unusquiſque qui modo loca conferat inter ſe, pieque attendat, maxima cum jucunditate, eam percipere, atque intelligere queat.* Hoc jam iterum tale, quod nemo intelligens, ac perpendens, quid dicat, dictum velit. Dixit tamen Clariſſ. *Guſſetius*: ac propterea *Linguam Hebræam* vocitabat, *Luminare magnum ſeſe nobis cognoſcendum præbens vi nativæ ſuæ proprietatis.* Imaginationem *Kabbaliſticam* cum alibi; tum ſupra *pag.* 181. ſatis revici. *Quintus.*

Dicatur, *Sexto*, non, *Lingua Hebræo-Biblica Divinitus Inſpirata*, ex puriſſimiſque coeli *fontibus derivata*, *nihil commune habet cum Dialectis impuris Chaldæorum, Syrorum, Arabumque latronum*: ſed planis, diſertiſque, Verbis ſic pronuncietur: *Fas non eſt, ut Coeleſtes Veritates* HUMANA *aliqua ac* VERNACULA LINGUA *exprimantur.* LINGUA *ergo* HEBRÆA *non* VERNACULA, *ſed* SACRA, *&* SINGULARISSIMA *fuiſſe cenſenda, ac proinde fieri nequit, ut ulla cognatio, aut communio iſti* *Sextus.*

SINGULARISSIMÆ LINGUÆ *cum Chaldaica, Syriaca*, ac *præſertim Arabica*, interceſſerit.

Septimus. Dicatur denique, *Septimo*, planis item, plenis, diſertiſque, Verbis: *Sacra noſtra minuet, qui non ſtatuet, altiore gradu Eminentiæ* ac *Majeſtatis poſitam eſſe* LINGUAM HEBRÆAM, quam ut *cognatione Sororia Dialectorum Chaldaicæ, Syriacæ*, ac præſertim *Arabicæ*, attingatur.

Hoc aſſertum ſub vero nomine *Linguæ Hebrææ* ſtatim abſurditatem ſuam prodit: ſed *titulo* ſpecioſo *Linguæ Hebræo-Biblicæ* velatum, mirabiles luſus dedit, multorumque *Veritatis* alias *ſtudioſorum* mentes in *Capitali* noſtra *Quæſtione* diu ambiguas ac ſuſpenſas tenuit.

Offuciolæ illæ ulterius adhuc detergentur. XLVI. Ut qui hiſce præſtigiolis adhuc attinentur forte, ſemet inde exſolvant, nebulæque omnes ab oculis abſtergeantur, quam abſona ſit appellatio *Linguæ Hebræo-Biblicæ* ſentiendum dabo. Ajo itaque *primo*, in principia *Literaturæ* omnis peccari, quum *Lingua* nobis *Hebræo-Biblica* introducitur, tanquam *Corpus* aliquod *Linguæ Separatum*, per ſe quaſi ſubſiſtens, atque propterea *in ſe, ſuiſque Viſceribus*, ut Cl. *Guſſetius* loquitur, conſiderandum, tractandumque unice.

Nemo certe ferat *Linguam Græco-Biblicam* iſtac ratione dici, ut ſcilicet *integrum* inde *Corpus* efficiatur alicujus *Linguæ*, a reliqua maſſa *Dialectorum Græciæ* toto coelo diſparatæ.

Si id procederet, jam *Belgico-Biblica Lingua* nobis foret inducenda: ut *Gallis*, *Gallo-Biblica*; itemque *Germanis*, *Germano-Biblica*; atque ita in ceteris *Linguis Nationibuſque*, quæ *Verbi Divini* ſuis in Vernaculis compotes factæ.

Non eſt quod excipiatur, *Vernaculas*, quas nominavi, non eſſe *Authenticas*; ſed ex *Originali* & *Divino Fonte* in *humanum ſermonem* tranſlatas. Rogabo enim, an ergo plane

plane *humanus* tantum ſit *ſermo* ille; & an *Verbum Dei* non ſit & maneat *Verbum Dei*, etiam in *Vernaculis Verſionibus*, quatenus ad *Veritatem* & *vim Originalem* fideliter redditæ ſint, atque expreſſæ?

Græco-Biblicam Linguam *eodem jure poſſe introduci.*

Sit interim aliquid diſſimilitudinis cum noſtris hiſce *Vernaculis*: ſummam ſimilitudinem eſſe cum *Lingua Græco-Biblica* nemo inficias iverit.

Hanc eſſe *Integram*, *omnibus ſuis partibus completam*, *perfectam nullo* DEFECTU *imminutam*; *ſed Divina providentia mirabiliter conſervatam: qua* DEUS MENTEM *ſuam quam* CLARISSIME, PERFECTISSIME, LIQUIDISSIME, EFFICACISSIME, *ac* SAPIENTISSIME *explicaverit*; quis tandem noſtrum non ultro conceſſerit: quatenus tunc per *Linguam Græco-Biblicam* intelligeremus *Doctrinam Novi Teſtamenti*, *Græce traditam*, *Verbumque Veritatis*.

Sed immutemus leviter, & dicamus præciſim; *Lingua Græca*, quæ in *Novo Teſtamento* extat, qua *Lingua*, eſt *Corpus integrum*, *omnibus partibus completum*, *perfectum*, *nullo* DEFECTU *imminutum*; *ſemet ſua luce*, *ac Virtute*, *ſuſtinens*, *explicanſque*: *ſic ut ad intelligentiam conſtructionis*, *Vocumve*, *tam in primariis*, *quam in ſecundariis uſibus*, *neceſſe non ſit Profanos adire Auctores*; *aut ſe addiſcendis Græciæ Dialectis macerare*. Necdum *Orbis Eruditus* eo audaciæ progreſſum quemquam vidit; quamvis *praxis* quorundam illuc manifeſte ducat. Quid cauſæ interim, quod nemo eo uſque adhuc ſeſe evehere ſuſtinuerit? Dicam. *Græcia* eſt *Terra cognita*; in quam navigatur ab omnibus fere, qui aliquid pretii *Literis Humanioribus* ſtatuunt. Aſt *Oriens* alio velut ſub ſole ſitus: & *Hebræa Dialectus* a paucis, *Chaldaica* & *Syriaca* a paucioribus: *Arabica* a pauciſſimis, aut nullis, attingitur. Sic fit, ut circa *Hebræam Linguam*, ejuſque *Dialectos*, homines impune fere graſ-

Digitized by Google

ſentur; & fidem inveniant, etiam ſi materias vel parum, vel nihil, intelligant. Alia *Græcæ Linguæ* ratio; in cujus *Provincias* ſi tam gravis fieret irruptio, undique orarum conſurgeretur adverſus talem impetum, eumque vel ipſi *Scholaſtici* comprimere valerent.

Quali acie impetar. XLVII. Ut appareat juſtiſſimam eſſe collationem, ad *Linguam Græco-Biblicam* ſtringam argumenta, quæ adverſus me ſub *titulo Linguæ Hebræo-Biblicæ* deſtringi ſolent.

1. Primo: *Lingua Græco-Biblica* TOTA *eſt in Codice Novi Teſtamenti*: ergo *non indiget ope*, ac *luce*, e *profanis fontibus* haurienda.

2. Secundo: *De Lingua Græco-Biblica nihil* DEFICIT *in N. T.* ergo fruſtra ob DEFECTUS *illos* vel quoad *Originem*, vel quoad *ſignificationem*, vel quoad *alios uſus Linguæ* ſupplendos, ad illos iretur *Auctores*, quibus nihil cum *Doctrina Chriſtiana* unquam commune fuit.

3. Tertio: *Lingua Græco-Biblica*, haud dubie, *Omni perfectione*, *evidentia*, *ſapientia*, *luceque divina* reſplendet: Fruſtra ergo ſunt *Literatores*, qui Soli faculam accendere volunt; quum de *poteſtate Vocabulorum* non *Novum Teſtamentum*, ſed *Profanos* conſulunt *Auctores*.

4. Quarto: *Lingua Græco-Biblica tota* eſt *Divinæ Originis*, & *Auctoritatis*, *adſlante Dei Spiritu & concepta*, & *conſcripta* &c. &c. Ergo temerarium eſt, *aliunde lucem Novo Teſtamento inferre*, ac *Spiritui Sancto*, in eo loquenti, *obtrudere*.

5. Quinto: *In Lingua Græco-Biblica* DEUS *mentem ſuam quam* CLARISSIME, PERFECTISSIME, LIQUIDISSIME, EFFICACISSIME, ac SAPIENTISSIME *explicuit*: ac proinde *ad eam* DEI *mentem in* CONTEXTU GRÆCO-BIBLICO *clare*, & *diſtinct percipiendam*, *nil niſi hujus* SOLIUS LINGUÆ GRÆCO-

CO-BIBLICÆ &c. &c. *juſta requiritur Cognitio:* (Sic de *Hebræo-Biblica* pronunciatum videmus *Additamenti Apologetici paragr.* L.) Ergo oleum operamque perdit, qui ultra Cancellos *Novi Teſt. Lectionem* ſuam *Græcam* extendit &c. &c. &c.

6. Sexto: *Lingua Græco-Biblica e puriſſimis coeli fontibus derivata*, extra controverſiam *puriſſima eſt*, & *caſtiſſima.* Non committendum ergo, ut *Impurarum Dialectorum Contagione* tanta hæcce indelibati ſermonis *puritas* polluatur.

7. Septimo denique: *Lingua Græco-Biblica*, quum *Divina Eminentia*, ac *Majeſtate*, præfulgeat; omnino Sacra minuiſſe cenſendus, qui *Gentiles Scriptores*, *Poëtas*, *Oratores*, *Tragicos*, *Comicos*; idque genus alios omnis Idololatriæ ac profanitatis plenos, conſuluerit, ad *primarias Vocabulorum Græco-Biblicorum ſignificationes* inde *eruendas*, conſtituendas, *demonſtrandas* &c. &c.

Concluſio.

XLVIII. Vix credent, qui hæc legerint, tam infirmam, ne quid gravius dicam, tamque undique hiantem aciem adverſus me, ſub *Titulo Linguæ Hebræo-Biblicæ*, eductam. Reſtat, ut *dubitari* ad hoc exemplum incipiat, GRÆCO-BIBLICAM LINGUAM *forte nunquam vernaculam fuiſſe.*

Expecto, quam mox illuc deveniatur; ut ſic *Pomoeria Sacra* ab omni parte inacceſſa ſint *Profanis Auctoribus.* Mirificentiſſima illuſio! Ea hic obiter tantum revincenda; quod *Viæ Regiæ* prolixiorem ejus mandaverim diſcuſſionem, confutationemque.

Ut nubecula radio veritatis disjiciatur, ſimpliciter tantum dicam, aliam eſſe *Doctrinam Veritatis*; aliam *Literam* ſive *Literalem vim Linguæ*, qua *Veritas* enunciatur. *Doctrina Veritatis*, ſive in *Veteri*, ſive in *Novo Teſtamento* revelatæ, non haurienda eſt ex *Profanis Scriptoribus*,

Chal-

Chaldeis, *Syris*, *Arabibus* illinc: hinc *Atticis*, *Ionicis*, *Doricis*, *Æolicis*, vel & *Communi Lingua* utentibus. In *Schola Spiritus Sancti* quærenda *Doctrina Veritatis*, ſub influxuque *Gratiæ* ejus perdiſcenda. Sed a *Spiritu Sancto* expectare *Cognitionem Literæ*, id eſt *Literalis ſenſus*, qua *Hebraici*; qua *Græci*; abſque *Humanis* illis, & *Profanis Fontibus*, quos Dei providentia *iſti cognitioni aperuit*, atque *dicavit*: hoc vero eſt ſeque alioſque ludificaſſe, atque infinito *Fanatiſmo* latiſſimam, non feneſtram, ſed viam pateſeciſſe.

Clariſſima revictio. XLIX. En longioris egreſſionis ſcopum, finemque. Nemo Eruditus, ineruditus, unquam ſibi perſuaſerit, in *Novo Teſtamento* vel TOTAM contineri *Linguam Græcam*; vel *eam forte* NON VERNACULAM *fuiſſe*.

Nemo quoque Eruditus, ineruditus, addubitet, quin *Lingua* ea, inter *Mortuas* nunc redacta, *multis ſui partibus* DEFICIATUR: quod *rerum* non patiatur *natura*, ut Univerſus alicujus *Linguæ* ambitus uno in *Libro* concludatur.

Norunt præterea Eruditi, tantum abeſſe, ut *Novum Teſtamentum* nobis *amplitudinem* omnem *Linguæ Græcæ* ſiſtat, in *Conſtructionibus*, in *Significationibus*, in *Radicibus*, in *Originibus*: ut ne Copia quidem exuberantiſſima Linguæ Divitis, & potentis, quæ per Dei providentiam conſervata in tot *Magnis*, *Splendidiſque*, *Monumentis Græcis*, eidem reddendæ, ac repræſentandæ, præſertim pro *Originibus*, ſufficiat.

Ad eam rationem, collationemque juſtiſſimam, nemo doctus, indoctus, ſibi perſuadeat, in *Veteri Teſtamento Totam* comprendi *Linguam Hebræam*. Eſt *contradictio in adjecto*: cui inſiſtere puderet.

Nemo quoque doctus, indoctus, addubitet; quin *Lingua* ea ex *vivis* olim, nunc ad conditionem *intermortuæ* re-

Digitized by Google

relapſa, MULTIS SUI PARTIBUS DEFICIATUR. Hoc negare, eſſet vim adferre ipſi *Experientiæ*, & *Evidentiæ*. Id etiam nunquam mihi *iſto ſenſu* aperte negatum; ſed tantum oblique, & admixta alia *Idea*, quæ ad *Integritatem Verbi*, & *Doctrinæ*, nullo DEFECTU laborantis, tendit. Si has *ideas* candor adverſantium diſtinxiſſet, ne tenuiſſimus quidem ſcrupulus unquam cuiquam adverſus noſtra oboriri potuiſſet.

Qui negaret præter *Codicem Sacrum* alios *Libros*, alia *Monumenta*, unquam *Hebraice* ſcripta fuiſſe; aliis *Radicibus*, & *Verbis*, aliis *formis*, *normiſque* derivandi; aliis *flexibus*, *gyrisque*, ſignificandi: aliis *ſenſibus*, *uſibuſque*, ſive *propriis*, *primariiſque*; *ſive ſecundariis*, *Metaphoricis*, *Metonymicis*, *Synecdochicis*, reliquaque *amplitudine* & *Opulentia Rhetorica*; unde pulchritudo, dignitas, gravitas, ſplendor, Majeſtas *Linguarum* & efflorefcit, & effulget: is profecto ipſe ſemet non tantum illuderet; ſed etiam *Hebrææ Linguæ eminentiam*, quam ſe adſtruere autumat, ſuismet deſtrueret manibus, atque profanis ingeniis illudendam præberet. *Negare hodiernos defectus, eſt vim afferre rebus.*

Dabantur ergo, vel adverſariis fatentibus, (habeo ipſa eorum verba) aliæ olim partes *Linguæ Hebrææ*; quæ in *Codice Sacro* nunc non comparent: id eſt, *dantur* nunc DEFECTUS, ſive PARTES DEFICIENTES LINGUÆ olim PLENIORIS abſque ulla controverſia. *Quin ſibimet contradicere.*

Hi DEFECTUS arguunt LINGUAM nunc a *Radicibus* ſuis revulſam quaſi, atque *Intermortuam*. Inde cum ſumma Evidentia, & vi demonſtrationis, efficitur Eam *Linguam* ſuo tempore in *terris Vernaculam fuiſſe*. Quin inde *Mathematice* colligere datur, Eam tum, quum *viveret* ac *floreret*, vel CENTIES *ditiorem*, *potentioremque* fuiſſe, quam nunc in *Uno Sacro Codice* apparet. Si hoc ſit, Lingua Hebræa *haud dubie intermortua.*

Digitized by Google

Linguæ Hebrææ decus minuere; veras rerum *ideas* amiſerim neceſſe eſt.

Ea opulentiſſima, dum viveret, ac floreret. Ego vero *Linguam prædivitem* olim, ac *præpotentem*, in avitas opes, Regnumque, ad Exemplum Maximorum in *Literatura Hebraica* Virorum, reſtituere pergens, ne pro *paupere*, *anguſta*, *manca*, *mutila*, omni modo *imperfecta*, amplius in *Schola Critica* traducatur, in invidiam publicam a *Zeloſis* quibuſdam hominibus vocor; quin *ſingulariſſimam ſententiam* fovere dicor a *Clariſſimo* noſtro *Diſſertatore*; qui ipſe omnium mortalium *ſingulariſſimus* deprehenditur, cum *novicia* ſua *dubitatione* in re, quæ ſolem claritate, & evidentia, æquat: quamque ipſe *fundamentum* ac *firmamentum Revelationis* conſtituere, nunquam denegabit.

Deſcenditur in longiorem periodum præfationis Guſſetianæ. L. Diſcuſſionem *Capitis* hujus claudam inſigni *pericopa*, qua Cl. *Guſſetius* in *Præfat.* ad *Comment. Ling. Hebr.* omnibus hiſce implicatiſſimis erroribus, ex appellatione *Linguæ Hebræo-Biblicæ* tantam turbelam hoc ſeculo daturis, præluſit. Poſtquam ille *Hebraicam Linguam*, (quam *Vernaculam*, quin a *Cananæis* ad *Abrahamum* & *Iſraelitas* devolutam ſtatuit,) abſurdiſſime comparaſſet SOLI, *inſito fulgore ſeſe manifeſtanti* &c. & MAGNO LUMINARI, *quod ſeſe nobis cognoſcendum præbet vi nativæ ſuæ proprietatis*; ſic objectioni, cuivis hic ſuccurrenti, occurrit: „ *Ne regeras Biblia*, (*quibus* LINGUA HE„BRAICA PURA *terminatur*) *parvum Librum eſſe.* „ LUMINARE *non* EX MOLE, *ſed* EX VI „ *cenſeri debet.* SOL *plus continet ignium*, *quam mil*„ *lecupla aliorum corporum amplitudo. Præterea Liber an* „ *parvus ſit*, *ex rebus eo explicatis judicandum eſt. S.* „ *Scripturæ materia redit ad unam doctrinam ſalutife*„ *ram*, *cujus omnia documenta*, *incitamenta*, *fomenta*, „ *hiſtoriis*, *ritibus*, *&* *ſimilibus conſiſtentia*, *bene dige*„ *ſta*

Digitized by Google

„ ſta poterant quantum ſatis eſt tali volumine comprehendi; „ ut liceret inde percipere proprietates locutionum ea exprimen- „ tium. Huc facit quod in ea ſunt Libri diverſorum ſupra vi- „ cenarium numerum Auctorum: quos ad rerum ſibi dicenda- „ rum expoſitionem complendam res ab aliis dictas tangere „ oportuit; quique ſinguli PECULIARI SUO STYLO „ eas exſequuntur; ſicque copiam dant nobis comparationis „ ſtyli cum ſtylo inſtituendæ; quæ LINGUIS perdiſcendis „ adeo accommoda eſt. Facilis autem eſt inter iſtos Auctores „ collatio; quia Hebraica in iis, quamquam annorum MCL. „ intervalla occupantibus, LINGUA ſemper EADEM eſt: „ quod infra fuſius repetetur. Ex bis EMICANT in Scri- „ pturarum mole exigua, ſed pura, PLURES IGNES, „ quam in MILLE VERSIONUM, & COMMEN- „ TARIORUM LIBRIS humanas cogitationes permiſtas „ ingerentibus. Sic Deus in hoc LUCIS THESAURO „ ſervavit nobis, unde proficeremus, in RECTA SIN- „ CERAQUE LINGUÆ, QUA nos VIRTUTEM „ DOCET, INTELLIGENTIA. Itaque age ſane, „ eſto nobis Scriptura FAX, cujus ope ac ductu ejus IP- „ SIUS NATURAM VIRESQUE ſtudioſi depreben- „ dant. Hæc mens mihi fuit; hic animus; cum INTRA „ SCRIPTURARUM TEMPLUM me recepi; & in „ iis HEBRAISMUM, quoad ejus a me fieri poſſet, UN- „ DIQUAQUE CONTEMPLANDUM mihi, DE- „ QUE SE IPSO, tanquam FIDISSIMO MAGIS- „ TRO, conſulendum duxi. „

Quum hæc ſit Hypotheſeos Metaphyſicæ Hebraizandi, quæ ſe adverſus Veterem ac Regiam Viam effert, Quinta veluti Eſſentia, quam complicatæ, quamque infirmæ ſimul, ſint omnes hæ ratiocinationes, preſſiuſcule indicabo, ut ſic Docti, indoctique, juxta ſentiant, nunquam ulla in materia infelicius calculos eſſe ſubductos. *Quinta Eſſentia cogitationum nobis oppoſitarum.*

Quæ Syſtematis noſtri fundamentis ſubruendis ad biberi ſolitæ ab imperitis.

Enervare ſtudet Vir Doctiſſ. *palmarium* illud *argumentum*, quo *Dialectorum* cum *utilitas*, tum *neceſſitas*, adſtructa a *Literaturæ Orientalis* ſtatoribus; quod quum *Lingua Hebraica ampliſſimæ* olim *ditionis*, & *opulentiæ*, nunc ad *unius Libri anguſtos Cancellos* ſit reducta: plane fieri nequeat, ſecundum *principia evidentiſſima Linguarum*, *naturamque* ipſam *rerum*, ut TOTA LINGUA HEBRAICA, *cum omnibus ſuis partibus Orationis*, *ſignificationumque ditiſſima ſupellectili*, *illos intra fines contineatur*; multo minus, *ut ſacer Codex Hebraicus ſibi ex ſuiſmet* tantum *viſceribus Interpretationem ſuam præſtare queat*; *Interpretationem* dico *Grammaticam*, *Syntacticam*, *Rhetoricam*, *Literalem*. Nam quod ad *veritates doctrinæ Cœleſtis* attineat, quin *Sacra Scriptura* eatenus *ſibimet illuſtrandæ ſufficiat*, extra controverſiam id poſitum eſſe: neque de eo unquam litem ullam inter homines ſana mente præditos commotam fuiſſe, toties totieſque iterare piget.

LI. Luſtremus nunc aciem hanc *Guſſetianam*; & videamus an *ſtatui quæſtionis* ſatis reſpondeat.

Infirmitas earum denudatur in primo ſtatim ingreſſu.

א Non belle, *primo*, principia ſe dant, quum ait, „ *Nec regeras Biblia*, *quibus* LINGUA HEBRAICA „ PURA TERMINATUR, *parvum Librum eſſe* „ Pauciſſimis in verbis tres, quatuor, plures complicationes, abſurditatum; in quas incidere non debuiſſet is, qui *Linguam Hebræam ſolam Orbi Vernaculam extitiſſe* ſtatuit, uſque ad *Babylonicam confuſionem*; unde *per Cananaeos*, ejus antiquiores poſſeſſores, *devoluta ſit ad Abrahamum*, *ejuſque poſteros*.

Tres repugnantiæ.

a. Apertiſſime ergo a ſemet ipſo deſciſcit Vir Doctus, quum ait, „ *Linguam Hebraicam Bibliis terminari.* „

An *Bibliis terminatur Lingua*, qua *uſus* univerſus *orbis Antediluvianus*?

An *Bibliis terminatur Lingua*, quæ ipſo inculcante *Cananæis*

Digitized by Google

nanæis ante *Abrahamum* domeſtica, ac vernacula?

An *Bibliis terminatur Lingua*, vel jam *Dialectus*, quam numeroſiſſima poſteritas *Abrahami* ut *vernaculam* ſuam poſſedit, frequentavit, concelebravit, per tot *ſeculorum* decurſum, inde ab *Abrahamo* uſque ad *Nehemiam* & ultra, ut ipſe ſaltem computat?

Habes tres repugnantias, ex complicata *idea* verbi *terminatur* oriundas. Nempe *terminatur* nunc *Lingua Hebraica ſolis Bibliis* per *accidens*; per *amiſſionem reliquæ Linguæ:* quatenus *nulli* alii *Libri iſta dialecto* conſcripti, ad manus noſtras pervenerunt: ſed non *ſolis Bibliis* per *naturam* ipſam *terminatur*. Qui hoc diceret, jam non *tribus*, ſed *aliquot millibus repugnantiarum* ſeſe irretiret.

b. Non minus manifeſta eluſio ſui, quum additur, LINGUA HEBRAICA PURA *Bibliis terminatur*, Hoc eſt vexillum illud, ſub quo hodie militant, & merent, qui clam palamve noſtra appetunt. *Alia manifeſta illuſio.*

Cum his alias. Nunc cum ſolo *Guſſetio* mihi res. Rogo ergo quænam *illa puritas*? An nulla *alia* extitit olim *Lingua Hebraica pura*, quam quæ nunc in *Bibliis* viſitur? Quanta abſurditas? Quanta contradictionum moles? *Impurum* ergo, quoad *Linguam*, id eſt *Grammaticam*, *Syntaxin*, *Rhetoricam*, uſum *militarem*, uſum *politicum*, uſum *Eccleſiaſticum*, uſum *Oeconomicum* ſive *domeſticum*: reliquos omnes *uſus humanos*, in ſtudiis, in artibus, in negotiis, in quotidianis colloquiis, commerciiſque, quicquid non *intra fines Bibliorum* continetur. O triſtem *Hebraicæ Linguæ* ſortem, ac conditionem, quæ graviſſima ſæpe vulnera accipit ab iis, qui eam cum Auctoritate in publico profitentur!

Vide interim ſimilem ſimilis erroris anſam. Revera nunc *Lingua Hebraica pura* in ſolis extat *Bibliis*: ſed *per accidens*; non *per naturam*: quatenus nulli alii *Libri* ſive

Digitized by Google

Profani, ſive *Sacri*, nobis conſervati ab *injuria* illa & *clade* temporum, qua *ampliſſimum* olim *Corpus Dialecti*, in *Palæſtina* tot per ſecula concelebratæ, *intermortuum*, atque *extinctum* dolemus. Gaudemus interim, *Divinam providentiam* eos nobis *Dialectorum fontes* adſervaſſe, unde *Sacro Codici* neceſſariam *opem*, *lucemque*, ferre queamus. Has qui *impuras* dictitant, & a *puriſſimis ſermonis Hebræo-Biblici pomoeriis* procul habendas; iterum ſemet *complicatis* eludunt *ideis*. Nempe *Dialectus Attica*, qua *Dialectus*, ſuam habet, amatque *puritatem*. Item *Ionica* ſuam, *Dorica* ſuam, *Æolica* ſuam. Dic jam, ſolam *Atticam Dialectum* poſſidere *puritatem Linguæ Veteris*, & continuo imperitus deprenderis judex, qui *puritatem* hujus illiuſve *Dialecti*, cum *puritate* totius *Linguæ* palam commiſceas, atque inde teque, alioſque, confundas.

ב. Extra oleas quoque, *ſecundo* itur, quum ſubjungitur. „ *Luminare non* EX MOLE, *ſed* EX VI *cenſeri* „ *debet*. "

Secunda Ludificatio ſui. *a*. Enimvero agnoſcimus *Biblia* eſſe LUMINARE, & quidem MAGNUM; quin UNICUM *ad ſalutem*; in *Doctrina Veritatis*: ſed *Biblia Hebraica* appellare *magnum luminare* pro LINGUÆ HEBRAICÆ, nobis *naturaliter incognitæ*, *intelligentia*; quod aptum natum ſit ad omnem *ejus naturam* cum *exteriorem*, tum *interiorem*, *inſito ſibi ſplendore*, *nobis pandendam*; id vero tam abſonum, ut nunquam quicquam repugnantius cuiquam in mentem venire poſſet.

b. Ut id quod *Cardinem* conſtituit *totius* noſtræ *Controverſiæ* ſub clariorem adhuc conſpectum educam, rogo, ubinam tandem reſideat *ſplendor* ille *inſitus*, per quem *Biblia Hebraica* ſibi *lucem diemque* præſtent, quoad *exteriorem*, & *interiorem intelligentiam* ipſius *Linguæ*; quæ hacte-

hactenus ſupponitur *plane clauſa*, *incognita*, *incomperta*, ſacrum Codicem lecturo.

Literiſne hunc fulgorem inſeminavit natura *Linguæ Hebraicæ?* Hoc *Hieroglyphici Doctores* nobis perſuaſum vellent.

An *ſonis?* Atqui *ſonos* ipſos *Linguæ* hactenus ignoras.

An *ſenſibus?* Atquin *ſenſus* hactenus tibi *ignotos* fateris, qui aperte profiteris, te non indigere ullis adminiculis,

Vel *Dialectorum veterum.*

Vel *Verſionum priſcarum.*

Vel *Rabbinorum.*

Vel *Verſionum recentiorum.*

Recurris ad *Sifræ incognitæ reſolutionem Mathematicam*, per *locorum attentiſſimam inter ſe Collationem.*

Atqui inauditum, ut quis *Sifram* talem *Perſica*, ſi forte, vel *Arabica Lingua* conſignatam reſolvat, qui *Perſice*, aut *Arabice* non calleat.

Citius cœlum manu metiatur vel ſubtiliſſimus *Mathematicus*; quam ut ſic ad *incognitæ* ſibi *Linguæ arcana* ſeſe penetret.

Quid? quod ita *ratiocinans* Cl. *Guſſetius*, adeo non aſſequatur *Origines*, quas ſibi promittit, *primariaſque* verborum *ſignificationes*; ut etiam *ſecundariis* plane excidat? Quas ex *Dialectis*, ac *Verſionibus Veteribus* hauſtas eſſe; indeque per *Rabbinos* in *Verſiones* ac *Commentationes* noſtrorum redundaſſe, nemo ignorat, nemo ſaltem, qui his de rebus judicare vult, ignorare deberet.

3. Abludit ergo, *tertio*, & hæc *Rhetoricatio*; ſeque ipſa deludit. „ *Sol plus ignium continet*, *quam millecupla alio-* „ *rum corporum amplitudo.* " *Tertia* Rhetoricatio *abſurda.*

a. Egregium vero *ſolem!* qui *ad Siſram Linguæ incognitæ* recidit: ſeque ipſe denſiſſimis immergit tenebris, unde nunquam eluctari queat.

b. So-

b. *Solem* eſſe *Verbum Dei* in *Bibliis Hebraicis* comprenſum, atque *juſtis* ex *fontibus* explicitum; Veritas & religio atteſtantur. At *Linguam Hebraicam* omnem ſuam *vim*, ac *Proprietatem Grammaticam*, *Syntacticam*, *Rhetoricam*, *Etymologicam*, ultro oculis legentium nativis ſuis radiis ingerere, Veritas & religio credere vetant, idque *Fanaticum* eſſe *Dogma*, infinitis contradictionibus laborans, pronunciant atque conteſtantur.

Quarta Confuſio. ד. Subtexitur, *quarto*, quod jam propius ferire minatur. „ *Præterea* LIBER *an* PARVUS *ſit*, *ex rebus eo* „ *explicatis judicandum eſt.* S. SCRIPTURÆ MATE- „ RIA *redit ad unam Doctrinam ſalutiferam &c.* „

a. Ecquid cernis *Doctrinam ſalutis* cum *Lingua*, *in qua Doctrina* illa patefacta, infeliciter confundi?

b. Pro *Doctrina* certe LIBER hicce non PARVUS; ſed magnitudine ſua Cœlum terrasque æquans. Sed *parvum* eſſe *Librum* huncce, reſpectu *Linguæ*, ejusque *ampliſſimæ* olim *copiæ*, quis tandem negaverit, niſi qui quid dicat, vel neſciat, vel penſi non faciat.

Quinta implicatio. ה. In *Linguam* ipſam tamen, *quinto*, ut *ſcopus* ferebat; ita hæc quoque fertur inſtantia. „ S. SCRIPTURÆ „ MATERIA, *redit ad unam* DOCTRINAM SALU- „ TIS: *cujus omnino documenta*, *incitamenta*, *fomenta* „ *hiſtoriis*, *ritibus*, *&* *ſimilibus conſiſtentia*, *bene digeſta* „ *poterant*, *quantum ſatis eſt*, *tali volumine comprehendi*, *ut* „ *liceret inde percipere* PROPRIETATES LOCUTIO- „ NUM *ea exprimentium.*

a. Mira illatio: *Documenta*, *incitamenta*, *fomenta*, *doctrinæ ſalutaris* TALI VOLUMINE *quantum ſatis eſt*, *poterant comprehendi*: ergo, TALI *quoque* VOLUMINE *comprenſum quantum requiritur ad* PROPRIETATES LOCUTIONUM *intelligendas.* Applica ad *Novum Teſtamentum*, & vide quales nobis *Græci Textus* enucleatores

Digitized by Google

res prodituri ſint. Ego vero dico; ſi *Dialectos* ſpernas, te *nihil*, *nihil* plane, de *proprietate locutionum Hebraicarum* intellecturum: neque *ſecundarias*, quas *earum ope* in *Lexicis*, & *Verſionibus*, nunc poſſides, *ſignificationes* habiturum amplius: neque ad *primarias*, id eſt *Origines*, unquam perventurum, quippe quæ ad *hanc lucem* unice & poſſint, & debeant, perveſtigari.

b. Belliſſimâ argumentatio! *Scriptores Sacri de* DOCTRINA VERITATIS *tantum conſcripſere quantum ſatis fuit ad ſalutem*, *& pietatem*; ergo iidem de LINGUA HEBRÆA *tantum* quoque nobis *ſcriptis ſuis reliquerunt*, quantum ad omnem GRAMMATICAM, SYNTAXIN, RHETORICAM, & ETYMOLOGIAM HEBRAICAM ex intimis LINGUÆ VETERIS fontibus eruendam, atque lucidiſſimo in die collocandam, deſiderari poteſt.

c. Eodem jure inferre potuiſſet *Philoſophus Literator*, quum *de Doctrina veritatis tantum nobis in Novo Teſt. conſignarint Sacri Scriptores*, *quantum ad ſalutem*, *& pietatem*, *ſatis*: ſequitur *tantum de Lingua Græca* nobis ab iiſdem traditum, atque relictum; *quantum* ad intelligentiam omnium *phraſium*, omniumque *vocum* magnarum, parvarum; in omni *uſu*, *exteriore*, *interiore*; in omnique ambitu *Grammatico*, *Syntactico*, *Rhetorico*, *Etymologico*; a quoquam poſtulari queat.

ו. Fortius adhuc incudem hancce tundit, *ſexto*, ita *Sexta innodatio.*
ictus conduplicans. „ *Huc facit quod in Ea*, S. Scriptura,
„ *ſunt Libri Diverſorum ſupra Vicenarium numerum Aucto-*
„ *rum*, *quos ad rerum ſibi dicendarum expoſitionem complen-*
„ *dam res ab aliis dictas tangere*, *partimque repetere*, *oportuit*; *quique ſinguli peculiari ſuo ſtylo eas exſequuntur*; *ſic-*
„ *que copiam dant nobis comparationis ſtyli cum ſtylo inſti-*

„ *tuendæ*, *quæ* LINGUIS PERDISCENDIS *adeo ac-*
„ *commoda eſt.* “

Hoc jam palam eſt *ingenio* & *doctrina* ſua abuti, ad cauſam colorandam.

a. *Auctores Sacri* ſupra *vicenarium numerum:* ergo nobis *Copia* non *Doctrinæ* ſolum, ſed & *Linguæ* tanta ab iis tradita; quanta ad *omnem intelligentiam vocum phraſiumque* requiritur.

b. Quemadmodum in *Doctrina veritatis ſe invicem non illuſtrant* tantum, ſed & *complent*, *Sacri Scriptores*; ſic in *Linguæ Hebraicæ fundamentis*, *Grammatica*, *Syntaxi*, *Rhetorica*, *Etymologia*, &c. &c. *nobis exponendis*, *amiciſſime manus operasque ſuas conſociarunt*; ne nobis *Chriſtianis* videlicet, quibus *Lingua* non niſi ex ipſis *Bibliis* innoteſceret, quicquam DEFICERET, atque *deeſſet*: ſed cuncta continuo *ad manus præſto adeſſent*, ex *collatione locorum Biblicorum* inter ſe *facile eruenda*, atque *demonſtranda.*

Ecquid ſentitur, quam ſubtiliter ſe *Metaphyſicus Linguæ Hebrææ Enucleator* abſolverit *neceſſitate Dialectos Orientales* perdiſcendi? Applicetur pulchra ratiocinatio *Scriptoribus Sacris Novi Teſtamenti*, & perpendatur, quorſum tandem *firmamenta* & *ornamenta Eruditionis*, ſi ſic pergatur, ſint relapſura.

c. Quod de *peculiari* ſingulis *ſtylo* interſertum; id ſane quam veriſſimum. Sed quid tum poſtea? An *Viginti Scriptores* tam *breves*, *ſuccinctique*, quam ſunt *Hebræorum Vates*, omnem *Linguæ* opulentiſſimæ *ambitum*, quoad omnes *Grammaticæ*, *Syntaxeos*, *Rhetorices*, *Etymologiæ* partes, maximas, minimas, potuere complecti? An hæc fuit *Cæleſtis* eorundem *Legatio*; ut id curarent ſcilicet; ne nos ad *Dialectorum* nunc *Orientalium* fontes adire cogeremur?

Jam

Digitized by Google

Jam eodem jure tendi queat, Scriptores *Novi Teſtamenti* non minus diligenter curaſſe, ut ſtudium *Linguæ Græcæ* intra *Cancellos Sacros* coërceri poſſet: ne *Chriſtianis* neceſſe foret, ad *profanos* recurrere *Auctores*; indeque *Græci ſermonis interiora* haurire, unde multa *contagio*, & *impuritas*, ad *puritatem Biblicam* permanare deberet.

7. En, *Septimo*, alias complicationes, ita ratiocinari pergentis: „ *Facilis autem eſt inter illos Auctores* COLLATIO, *quia Hebraica in iis, quamquam annorum* MCL. „ *intervalla occupantibus*, *Lingua ſemper eadem eſt. Ex* „ *his emicant in Scripturarum* MOLE EXIGUA, *ſed* „ PURA, *plures* IGNES, *quam in mille* VERSIONUM „ & COMMENTARIORUM LIBRIS, *humanas co*„ *gitationes permiſtas ingerentibus.* " *Septima ſui præſtrictio.*

a. Facilem eſſe *Collationem Sacrorum Scriptorum in* tam *exiguæ molis volumine*, quod bis, terve, quotannis legendo commodiſſime abſolvi poteſt, quis neget? Sed an propterea *facilis* quoque *intellectio Libri*, quo nullus vel *Lingua Antiquiore*, ac proin *abſtruſiore*; vel *Materia profundiore*; vel *Stilo ſublimiore, in omnemque Eloquentiæ Virtutem Eminentiore*, in toto Terrarum Orbe invenitur?

b. Eandem eſſe *Linguam Hebraicam* a *Moſe* ad *Malachiam*, cum *varietate* tamen *ſtyli*, quem quiſque *Sacrorum Scriptorum* convenienter genio ſuo expreſſit; ultro quoque largimur: ſed quid tum? An propterea *Eſajas*, *Hoſeas*, reliquique *Prophetæ* æque faciles ad intelligendum, quam *Libri Hiſtorici*? An *Jobi* illud monumentum omni *Tragica* granditate, gravitate, celſitudine, exaggeratum? An *Pſalmorum* plusquam *Pindarici ſoni tonique*? An *Proverbiorum* compactiſſima, ſententioſiſſima, in nucleumque *Sapientiæ* collecta brevitas; eandem præbet *facilitatem*, quam ſimplicitas narrationum? Qui hæc *facilia* pronunciant, ex

ſola *Collatione textuum* intime ſtatim percipienda, *ſtyli Sacri Majeſtatem* adeo non Venerantur, ut contra haud leviter eam deflorent; atque in *Sacratiſſimos* committant *Auctores*, quod in *Æſchylum*, *Pindarum*, *Sophoclem*, *Lycophronem*, nemo committere ſuſtineret.

c. Nil mirum, ſi quod hinc ſubſumtum, utroque latere claudicet. *Ex his emicant in ſcripturarum mole* EXIGUA, *ſed* PURA, *plures* IGNES, *quam in mille* VERSIONUM *ac Commentariorum Libris*, *humanas cogitationes permiſtas ingerentibus*.

α *Purum* illud, jam ſuperius ſatis reviſtum.

β *Ignes* quomodo ex *Lingua clauſa*, & *incognita*, emicare queant, nemo declaraverit.

γ. Sed cur jam omiſſæ *Dialecti*? & *Verſiones* tantum, ac *Commentationes humanis cogitationibus permiſtæ*, nominantur?

δ. Apparet vel cæco iterum, *Doctrinam Veritatis*, in quam hæc unice quadrant, cum *Lingua Hebraica* ita commiſcuiſſe Cl. *Præfatorem*; ut *unum idemque magnum Luminare* conſtituant.

Octava conturbatio. ח. Hanc commixtionem cernas quoque, *Octavo*, in hiſce: „ *Sic Deus in hoc* LUCIS THESAURO *ſervavit nobis unde proficeremus in recta ſinceraque* LINGUÆ, *qua* VIRTUTEM *nos* DOCET, *intelligentia.*

a. Itane vero? An *Lingua tantum Hebræi Virtutem docet* Deus? Id volebant *Kabbaliſtæ*. Id etiamnum contendit *Synagoga* in *Chriſtum* perduellis.

b. Sed non adjecta Vox *tantum*, inquis. Atqui ni adjiciatur, nihil, plane nihil, dicitur, probaturve. Etiam *Lingua Græca virtutem docet* Deus. An ea *Theſaurus* propterea *Lucis* ſalutabitur, qua *Lingua* ſcilicet?

c. Infelix, ergo, concluſio, ad *rectam ſinceramque Linguæ*

Digitized by Google

gua intelligentiam, quæ ad *Doctrinæ intelligentiam* unice valet.

ט Cum *primis*, *mediiſque*, *ultima* ſic tandem ſemet deſtruunt, obruuntque. *Itaque age ſane, eſto nobis S. Scriptura*, FAX, *cujus* OPE DUCTUQUE *Ejus ipſius naturam vireſque ſtudioſi deprehendant*. &c. &c. *Nonæ ruinæ.*

a. Pro *Doctrina Veritatis*, & *ſalutis*, rectiſſime.

b. Pro *Linguæ Hebraicæ intelligentia*, & *enucleatione Grammatica*, *Syntactica*, *Rhetorica*, *Etymologica*, nihil repugnantius, atque ob omni *Literatura*, *Ratione*, *Philoſophia*, ac *Theologia*, longius deflectens.

CAPUT QUINTUM,

QUO

VERNACULA PROPRIETAS, *vis*, *poteſtas*, *SERMONI HEBRÆO Sacrorum Vatum vindicatur ex Variante Eorundem Stylo.*

LIII. UT *Demonſtrationibus hactenus* in ſolido jactis, atque per immota PRINCIPIA & FACTA ſimul adſtructis, Culmen imponam: VERNACULUM SERMONIS HEBRÆI USUM celſiore adhuc genere *evictionis* permunitum dabo. *Culmen demonſtrationum* uſus Vernaculi Ling. Hebr.

Hanc mihi offert DIVERSITAS STYLI in *Sacris Scriptoribus*, inſignite ſe exerens; atque diſtinctiſſimo genii, ingeniique, Charactere dilucens.

Totam Scripturam *Divinitus inſpiratam* eſſe, religioſiſſime

Inſpiratio Verbi Coeleſtis non extendenda ad Grammaticam, *&c.*

ſime credimus: ſed *inſpiratio* illa non ſic accipienda, ac ſi cum *Doctrina Veritatis*, & *Luce* VERBI INTERIORIS, quæ a Patre Luminum *immediate* emanavit, etiam EXTERIORIS VERBI *Voces*, *formas*, *conſtructiones*, *ſonos*, *ſenſus*, *ſignificationes*; univerſamque adeo *ſupellectilem Grammaticam*, *Syntacticam*, *Rhetoricam*, *Etymologicam*, viris ſuo Numine actis *Spiritus Sanctus* ſimul *immediate* infudiſſet.

Hoc tanto divortio ab omni *Theologia*, *Philoſophia*, & *ſana Ratione* repulſum, ut mihi perſuadere nec debeam, nec poſſim, hanc mentem Cl. *Diſſertatori* ſedere: quamvis Verba illuc Legentem rapiant: *pag.* 207. *ſecundæ Editionis*; collatis iis quæ *pag.* 148. extant; ad quæ & ipſe remittit. Nempe inde præter alia abſurda hocce multo abſurdiſſimum conſequeretur, *Spiritum Sanctum ſupernaturali ſua influentia ſacrorum Vatum naturalem facultatem ita abſorpſiſſe*, ut ipſi *mente ſua nihil conceperint*, *conſtruxerint*, *conformarint*, *ſonis ſenſibuſque Convenientibus enunciarint*: quippe qui *uti* deberent *Lingua humanis finibus*, *uſibuſque*, *exempta*, & *Divinis* plane *Virtutibus*, *perfectionibus*, *luminibus*, atque *ornamentis*, ſupra *Sphæram activitatis* eorum *naturalis* evecta.

Naturalis Linguæ Vernaculæ habitus uſuſque in Viris Spiritu Dei actis non ceſſavit.

LIV. Ab hoc præcipitio ut quiſque ultro reſilit; ita nemo non mecum citra ullam tergiverſationem & jam ante tenuit, & in perpetuum tenebit, tamquam principium indubitatum, immotumque, *Naturalem facultatem Linguæ non ceſſaſſe in Sacris Vatibus*; *ſed eam Divinitus auctam*, *ditatam*, *ſanctificatamque fuiſſe*, in omnem *decentiam*, & *dignitatem*, *Orationis Vernaculæ*, quæ *Legatis Dei*, *Veritates Coeleſtes* populo cum Auctoritate tradituris, conveniebat.

Quænam erat *Naturalis* illa *facultas*? Haud dubie *habitus*, *uſuſque*, *Vernaculus Linguæ patriæ*, in qua ſe *os Dei ad populum* præſtare debebant.

Ille

Ille *habitus*, *uſuſque*, in eadem *Lingua patria*, non omnibus interim unus idemque.

Certe Natura & Experientia docent, ut *lineamenta vultuum*, ſic *ingeniorum*, mirifice variare; atque diverſiſſima ratione cogitandi, cogitationeſque verbis, ac ſententiis, conveſtiendi & expromendi, ſeſe prodere.

Varium illum *habitum*, *uſumque*, *Linguæ* patriæ, *Sacris Scriptoribus* dedit varia *indoles*; varia *educatio* & *inſtitutio*; varia *conditio* ac *fortuna*.

Hanc *Varietatem Styli*, qui non agnoſceret in *Sacris Scriptoribus Veteris Teſtamenti* peræque ac *Novi*, qualis tandem judex eſſet? Alius certe in genere *narrationis Hiſtoricæ* Stylus *Moſis*; alius *Joſuæ*, & reliquorum *Hiſtoricorum*: quorum nullus unum eundemque colorem orationis obtinet. Similiter in genere ſublimiore longe alius *Eſajas*, quam *Hoſeas*; alius *Jeremias*, quam *Eſechiel*: atque ita de reliquis Vatibus. Inter *Jobum* iterum, & *Davidem*, quanta differentia? *Salomon* plane ſingularis, & ſuus. *Hinc Varietas multa ſtyli in Sacris Scriptoribus.*

Si jam *Hebraica Lingua* Sacris Scriptoribus non fuiſſet *Vernacula*, unus tantum *Stylus*, una *Conſtructionis forma*, una *Linguæ facies*, in *Sacro Codice* reluceret: & *Oratio* ab ipſo Deo IMMEDIATE *concepta*, *conſtructa*, *conformata*, ſuiſque *ſonis*, *ſenſibus*, *ſignificationibus animata*; ſuis denique *luminibus* & *ornamentis Divinis Divinitus inſignita*, in *Lingua* non *Vernacula* Prophetis, non *Domeſtica*; ne HUMANA quidem, ſed *Sacra*, ſed *ſingulariſſima*, ſed *Diviniſſima*, ſed *Hebræo-Biblica*, *Sacratiſſimis Oraculis* conſignandis unice dicata; talis, inquam *Oratio* ſic *immediate* ab ipſo Deo emanans, æquabili ſemper fluxu manare debuiſſet, neque ullam *genii* aut *ingenii* Varietatem admittere potuiſſet.

LV. Rectiſſime itaque hac in parte Cel. *Guſſetius* dicebat; *Hanc Cl. Guſ-*

Digitized by Google

ſetius *agnoſcit.* cebat; loco ſuperius adducto: SINGULOS *Auctores Sacros* PECULIARI SUO STYLO *uſos.* Belliſſime quoque ſubdebat: *Sicque copiam dant nobis comparationis* STYLI *cum* STYLO *inſtituendæ; quæ* LINGUIS PERDISCENDIS *adeo accommoda eſt.* Non ſenſit *interim*, quum hæc ex Veriſſimis *Philologiæ* principiis poneret, ſe ſua Vineta cædere, quin univerſam ſuccidere *Hypotheſin* de *Lingua Hebraica* ex ſolis *Bibliis* enucleanda.

Certe ita ratiocinari haud ſuſtinuiſſet vir Doctus circa *Auctores Sacros Novi Teſtamenti.* Horum *Stylus* ſane quam diverſiſſimus: neutiquam tamen vel attentiſſimum *Collatorem* locorum introducet in omnem illam cognitionem *Linguæ Græcæ*, quæ ad *Novi Teſtamenti* ſolidam interpretationem requiritur: nedum ut *Origines Græcas* inde *eruere* atque *demonſtrare* quis valeret. Alieniora hæc ſunt a Principiis omnis *Literaturæ*, ac *Philologiæ*, cum *Profanæ*, tum etiam *Sacræ*, quam ut unquam cuiquam in mentem venire debuiſſent: nedum, ut tanta cum fiducia inculcarentur.

Quomodo Hebræa Lingua *ſemper* eadem. LVI. Sed, inquiunt, *Lingua Hebræo-Biblica* a *Moſe* ad *Malachiam una* eſt, *eademque.* Eſt & hoc a Cl. *Guſſetio* profectum, ſic ibidem calculos ponente: *Facilis autem eſt inter iſtos Auctores Collatio*; *quia* HEBRAICA *in iis*, *quanquam annorum* MCL. *intervalla occupantibus*, LINGUA *ſemper* EADEM *eſt.*

Complicatio circa *Facilitatem Collationis* ſuperius jam retecta, & refutata.

Paralogiſmus palpabilis. Nunc alius adhuc *Paralogiſmus* renudandus, circa phraſin, *Eandem ſemper Linguam Hebraicam eſſe* in *Sacris ſcriptoribus*, a *Moſe* ad *Malachiam.* Non potuit hoc de *Stylo* intelligere, qui diſerte dixerat, SINGULIS *Auctoribus Sacris* PECULIAREM *ſuum* STYLUM *ineſſe.* Ergo dum *aliquid* dicere videtur, *nihil* dixiſſe, re excuſſa, ſed *ambiguitate* Vocabuli ſeque alioſque eluſiſſe, reperitur.

Tan-

Digitized by Google

Tanto minus ita ſe irretire debuiſſet Cl. *Guſſetius*; quanto magis eum hinc retrahebat ſententia in principio *Commentarii de Lingua Hebræa* libere ac rotunde expoſita, cum *initio mundi ortam hanc Linguam*, omnibus ſeculis *Antediluvianis* ſolam, unamque, manſiſſe; atque a *Cananæis* deinde poſt confuſionem *Babelis* retentam, ac poſſeſſam, tandem ad *Abrahamum* devolutam; atque ita *Abrahamidis* factam Vernaculam. *Repugnantia.*

Sic exiſtunt non *Mille centum* ac *quinquaginta anni*; ſed *tria millia annorum*, quibus *Lingua Hebræa* & *Vernacula*, & *Eadem*, perſtitit in orbe terrarum. Eandem ſententiam de *Lingua Hebræa*, inde ab *Adamo* uſque ad confuſionem *Babelis*, una ſola *Vernacula* in Terris; omnium Eruditorum conſentiens calculus firmat: poſtquam ea quæ de *Lingua Antediluviana* plane *deperdita*, vel ſaltem *per omnes* reliquas *Linguas* quaſi disjecta, atque diſſipata, nonnullis placuerant, argumentorum ſolidiſſimorum luce revicta ſunt. *Lingua* primæva *Eadem*, *quæ poſtea* Hebræa *dicta.*

Nunquam me iſti ſententiæ oppoſui; nunquam opponam; quippe qui *Oratione prima* de *Linguæ Arabicæ antiquiſſima Origine*, *intima ac ſororia cum Lingua Hebræa adfinitate*, *nulliſque ſeculis præflorata puritate:* habita quum *Franequeræ* adhuc degerem, *Kal. Jun.* MDCCXXIX. apertiſſimis Verbis dixerim, *pag. 6.* LINGUAM PRIMÆVAM, *quæ cum humano genere condita*, *atque inſtituta fuit*, EANDEM *fuiſſe*, *quam* HEBRÆÆ poſtea *appellatio* inſignivit, ac *quaſi conſecravit*; *id nominis indeptam ab* HEBERO, *Abrahami*, atque *Abrahamidarum*, per *Phalegum proſeminatore.*

Adjeci ibidem, *hoc ut graviſſimis rationibus jam evictum* per alios, *ita novis adhuc argumentis pervinci poſſe.*

Novas haſce probationes, Veteribus firmandis, augendiſque, *Via Regia* in medium conferet.

Digitized by Google

Strictè loquendo tamen eſt Dialectus *inde propagata.*

Quum autem LINGUAM PRIMÆVAM ibi EANDEM dico cum ea, quæ poſtea ab *Hebero Hebræa* ſit appellata, jam quivis rerum intelligens eo ipſo ſentit, ac probe diſcernit, me diſcriminare inter *Matrem Antediluvianam*, & *Filiam* poſt *Diluvium* demum enatam ex *Dialecto*; quæ ab *Hebero Hebrææ* nomen ſortita. Rem tam clare in *Via Veteri* ac *Regia pag.* 50--53. jam expoſui, ut nullis amplius offuciolis obſcurari poſſit; quantumvis nos ridere non deſinant Adverſantes, quod *Linguam Hebræam* fecerim *Matrem* ſimul, ſimul *Filiam:* quodque monſtroſius, *Arabicam Linguam* effecerim *Linguæ Hebrææ* & *Filiam*, & *Sororem*, & *Maritum*. Utinam ſibi parcerent; qui talibus non me utique ſauciant, ſed ſemet tantum convulnerant.

Exemplum Linguæ Græcæ & Dialecti Atticæ.

Ne pergant infeliciter, rogabo, an *Attici* non poſſederint *Linguam Veteris Græciæ?* Negabit credo nullus. Rogabo iterum, an ergo *Lingua Attica non ſit* EADEM *cum Lingua Veteri Græcorum?* Iterum inficias ibit nemo. Rogabo tertium; an *Dialectus Attica* ergo ſit *Mater Dialectorum Græciæ*, non autem & ipſa *propago Veteris Linguæ*, ejuſque *Filia*; natu major illa quidem, ſed tamen *Filia?* Si nec hoc negare quiſquam ſuſtinebit, *Atticam Dialectum* recentiorem eſſe *Lingua Veteri*, ex qua *Lingua* tanquam e *communi Matre*, ac *Stirpe*, quatuor *Filiæ*, quatuor *propagines* majores ſuccreverint; *Attica*, *Ionica*, *Æolica*, *Dorica*; nil eſt quod cavillatiuncula hacce, Viris haud ſane digna, ſibi placeant, quibus noſtra diſplicent; omnibuſque aliis cuperent diſplicere. Sed hæc in *Via Regia* latius, ſuo tempore.

Lingua primæva in quatuor

LVII. Ad hanc rationem *Lingua Primæva*, ſive *Antediluviana*, copias Divitiaſque ſuas, per XVIII. ſecula fere collectas, non in *Hebræam* tantum *Dialectum* derivavit,

Digitized by Google

vit, ſed etiam in *Chaldæicam*, *Syriacam*, & *Arabicam*, transfudit; illibata *integritate* & *puritate Radicali*. Hoc qui negant, ſine legitima cognitione cauſæ, vel ex affectu tantum, negant. Digniſſimis quæ in clariorem diem conſpectumque proferantur, materiis, propediem eam curam impertiemus, quæ ſcrupulos omnes porro eximat.

magnas Dialectos *puritatem ſuam Radicalem propagavit.*

LVIII. Hæc *Dialectus Hebræa*, quando, & quomodo, ſe ſenſim ſine ſenſu conformaverit, in eamque induerit faciem, quam in *Scriptis Moſaicis* obtinet, & per quam ſuo jam quodam domeſtico colore, a *ſororio Arabico*, *Chaldæo*, & *Syro Sermone*, ſe diſtinguit, eadem opera in pleniorem lucem protrahetur: deprehendo enim cogitationes hominum non minus hic diverſas, confuſaſque, quam ad *Turrim Babylonicam* olim & mentes, & Linguæ, diſcrepuerunt.

Natalis Dialecti Hebrææ.

Præſens diſcuſſio rerum nunc quidem nihil aliud exigit, quam ut *Guſſetiani ratiocinii* infirmitatem nudaturus oſtendam, illud utrimque nutare, atque talo ſemet ſubverſuro niti.

Ratiocinium Cl. Guſſetii *utrimque nutans.*

A. Nam, *primo*, non ſtat, nedum procedit, hæc ratiocinatio. DIALECTUS HEBRÆA EADEM *a Moſe ad Malachiam*: ergo *Sacri Scriptores*, illud intercapedinis continuata ſerie occupantes, omnem nobis *Dialecti* illius *rationem*, *vim*, *amplitudinem*, & late fuſam *Ditionem*, tum *externam*, pro uſibus *ſecundariis* omnium Vocabulorum, tum *internam* pro uſibus *primariis*, & *Originibus*, exhibent, ac repræſentant.

A dextra.

B. Abſurdior adhuc, *ſecundo*, argumentatio, undique ingentes ruinas trahens: DIALECTUS HEBRÆA *a Moſe ad Malachiam ſemper* EADEM: ergo e *Dialectis*, intima affinitate Ei junctis, *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, nihil *Hebraicæ* iſti opis, luciſve, miniſtrari poteſt; neque

A ſiniſtra.

ad *ſecundarias ſignificationes Radicum*, *Vocumque Derivatarum*, rite conſtituendas: neque ad *primarias poteſtates* ſive *Origines* earundem *Radicum*, ac *Vocum derivatarum*, ſecundum *interiorem indolem Vetuſtiſſimæ* orbis terrarum *Linguæ* indagandas, eruendas, demonſtrandas.

Qui ſic in *Græcis* ad abacum ſederet, atque ratiunculas ſubduceret; eum omnia conturbaſſe, atque *Eruditionis* decora & ornamenta obſcuraſſe *Muſæ Græcæ* pronunciarent.

Aliud imperitius judicium.

LIX. Atque hæc quidem hactenus porrecta anſa, adverſus Cl. *Guſſetium*, ejuſque ſequaces *Metaphyſicos*; qui *Hebræam Linguam Vernaculam* relinquunt, agnoſcuntque. Sed nuper admodum inaudivi, quod mihi ne ſuſpicione quidem mentem adhuc pepulerat, eſſe qui hinc argumentum invictum duci poſſe autument, pro *Lingua Hebraica non Vernacula*: quod ſcilicet a *Moſe* ad *Malachiam una* ejuſdem *forma*, *una* luceat *facies*, in *Sacris Scriptoribus*. Quando interim nullum adhuc fundum habeo, nullum certum auctorem tam indoctæ, imperitæque, collectionis; ei confutandæ inſiſtere minus verecundum foret: nihil enim in publico redarguendum, niſi quod ſe in publicum extulit; atque unde in *Rempublicam Literarum* aliquid detrimenti ſerius, ocius, permanare poſſet.

C A-

CAPUT SEXTUM.

Quo

VERNACULUS USUS LINGUÆ HEBRÆÆ inter Hebræos demonſtratur ex abſurdis, longo agmine ingruituris: niſi is DUBITATIONI ſteterit exemtus.

LX. MUltiplicem aciem Evictionum *Vernaculi uſus Linguæ Hebrææ inter Hebræos*, a lateribus, atque a tergo, firmabunt, invictoque robore inſtruent, demonſtrationes *Abſurditatum*, *noxiarumque conſequentiarum*, quæ ſi *Vernacula Hebrææ Linguæ poteſtas* vel tantillum *dubitando* ſollicitetur, ſponte velut agmine facto in rem *Hebræam*, in rem *Chriſtianam*, incumbent; ac qua data porta ruentes, longe ac late ſtragem per fines Sacrorum noſtrorum edere poſſent.

Vernaculus uſus Ling. Hebr. firmatur ab Abſurdis, alias orituris.

LXI. Primo, ni *Lingua Hebræa certo certius Vernacula fuiſſet*, triumpharet *Voſſianiſmus*, id eſt *acerrima* illa *Factio Critica*, quæ *Corruptiſſimum* ſtatuens *Codicem Hebræum*, atque infinitis mendis vitiatum, partim per ignorantiam, partim per malitiam *Judæorum*: ſimul contendit *Clavim Linguæ Hebrææ* penitus deperditam eſſe: ac proinde *commenticia* eſſe omnia quæ *Rabbini* vel Veteres, vel Recentiores, de *Vocabulorum Hebraicorum ſignificationibus*, in *Commentariis Lexiciſque* tradidere. *Commenticia* item *Lexica*, & *Commentarios* omnes *Chriſtianorum* inde hauſtos. *Commenticias* denique cunctas *Verſiones Vernaculas*, *Angli-*

Primus Triumphus Voſſianiſmi.

 cam,

cam, *Gallicam*, *Helveticam*, *Germanicam*; *Belgicam*, reliquas reliquarum nationum, quæcumque non ad LXX. *Viralem Auctoritatem* verbotenus expreſſæ.

In quo conſiſtat vehementior & audax Factio. Hypotheſeos ruinoſiſſimæ, atque omnia VERITATIS HEBRAICÆ FUNDAMENTA jam non tentantis, ſed plena manu convellere minantis, non tam Auctor, quam ſtator, & propugnator, animoſiſſimus extitit *IS. Voſſius*, Vir Magnus in omni *Literatura*, præterquam ea quæ ad hanc Cauſam vel maxime deſiderabatur.

Relinquebat quidem ille *Linguam Hebræam Vernaculam* olim; ſed ejus *cognitionem* deleta *Judæorum* Republica ita ſimul *deletam*, atque *extinctam*, pugnabat; ut nulli mortalium ullus ad eam acceſſus patere poſſit, niſi per *inſpirationem*.

Vexat ergo *Theologos* noſtros quod *oculati* ſe *cæcis*, id eſt *Rabbinis*, ducendos permittant; *Codicemque Hebræum* ſub eorum auctoritate Venerentur, qui nunc plane *mutus factus ſit*; & ne *tria* quidem *Verba* ſine LXX. Viris poſſet ſonare.

Hos ergo ſolos audiendos, hos ſequendos unice, remis veliſque nititur: quippe qui ſoli & *Linguam* tunc tempeſtatis *Vivam* adhuc calluerint; & præterea in *Verſione* ALEXANDRINA concinnanda ita *Spiritus Sancti afflatu* ſint adjuti, ut propterea VIX DUBITET *eam Divinitus inſpiratam adpellare.*

Ejus enudatio per aliquot Theſes. Eſt ludificatio ſic ſatis inſolens, non tantum eorum, qui *Hebræam Veritatem* amplectuntur, ſed etiam *Revelationis* ipſius, per *Moſen*, ac *Prophetas* factæ. Hanc ſine *Veritate Hebraica* ſtare, a nobiſque firma fide recipi non poſſe, quivis facile perſentiſcit. Non valde emunctis proinde naribus quis indiget ad olfaciendum, quorſum hæcce *Voſſiana* ferantur.

Prima Theſis. א. *Ne tria* quidem *Vocabula a quoquam intelligenda in* CO-

CODICE HEBRÆO: *quod is* LINGUA HEBRÆORUM *exciſa, obliterata*, ad *oblivionemque redacta*, nunc penitus *obmutuerit* atque *exaruerit*.

ב. Omnis *intelligentia* illius *Codicis haurienda* unice ex *Verſione Alexandrina* LXX. *Virorum*. *Secunda.*

ג. Ad horum Auctoritatem in tanta re conſtabiliendam *fides* ab Homine non ſane credulo *adjuncta fabellæ obſoletæ de θεοπνευστίᾳ & inſpiratione Divina illorum interpretum:* ita tamen ut de ea ſe VIX DUBITARE inſinuet. *Tertia.*

ד. Iſta *fides* ſic *ſuſpenſa*, præterea ab eodem *arctius reſtringitur* ad ſolam *Verſionem Pentateuchi*. *Quarta.*

ה. Cetera *Sacra Volumina ab iiſdem quidem interpretibus tranſlata; ſed poſtea* demum: *neque ab omnibus ſimul; ſed ſeorſim a ſingulis, aut paucis ſimul:* ita ut *tantum interſit inter Verſionem Pentateuchi, & reliquorum S. Scripturæ librorum, quantum inter ſententiam ab* UNIVERSO SENATU *latam, & eam quam unus aut duo pronuntiarint.* *Quinta.*

ו. *Quamvis* autem propterea *longe minus tribuendum ſit Auctoritati ſequentium S. Scripturæ librorum; quos aut pauci, aut ſingulares, tranſtulerint interpretes, quam Verſioni Pentateuchi; attamen & horum quoque* INTERPRETATIONEM SANCTAM *nobis eſſe debere.* *Sexta.*

Ecquid aperte ſatis illudimur omnes, naſoque adunco ſuſpendimur, a Viro qui *Vernaculam Ditionem Linguæ Hebrææ* nunquam ſollicitare auſus, *Ejus* tantum *Cognitionem funditus interiiſſe* cavillabatur?

Quæ non tropæa erexiſſet, quæ non ſigna Victricia explicuiſſet, ſi ſub *Guſſetianiſmo invaleſcente* ei vivere contigiſſet? hinc ſcilicet per *Guſſetium* omnibus *Fontibus Dialectorum*, unde *Voſſianiſmus* unice retundi ac debellari poteſt, contemtis, & procul a pomœriis Sacris abſiſtere juſſis: illinc earundem loco introducta *Clavicula Mathematica* DESIFRATIONIS *Characterum Vocabulorumque* *Hæ multo audacius ſe inferre poſſent.*

inco-

incognitorum, *in Lingua hactenus plane incognita*, *per Collationem attentiſſimam contextus Hebraici.*

His ſi inſuper accedat *Dubitatio*, qua ſancitur, NUNQUAM *adhuc* PROBATUM, LINGUAM HEBRÆAM HEBRÆIS *fuiſſe* VERNACULAM; *idque* ETIAM NUNC NEUTIQUAM PROBARI *poſſe*; dijudicandum omnibus trado, an ulla ratione *Voſſianiſmo*, (bene multos *ſectatores* numeranti, in *Anglia*, & alibi,) hac ſaltem in parte, reſiſti queat? quatenus vel LXX. *Interpretibus* unice adhærendum in *Explicatione Linguæ* plane *deperditæ*; vel e coelo eam referandam eſſe decernit, per *Spiritus S. adflatum*, ſcilicet! gratiamque ſigillatim cuique Lectori impertiendam.

Metuenda eſſet, ſecundo, Deiſtarum *importunior adhuc aggreſſio.*

LXII. Quid, quod *Voſſianiſmus* nunc, *ſecundo*, ni *Vernaculam fuiſſe Hebræam Linguam* certo certius teneatur, majores ſibi ſpiritus, majorem ſumere poſſet arrogantiam; atque *Deiſtarum* agmine ſtipatus, *Revelationem*, *Iſraëlitis* per *Moſen* & *Prophetas* factam, quam per cuniculos impetierat, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, & aperto Marte, invadere?

Totum *Caput Tertium* hujus *Excurſus* qui oculo remetietur, omni *paragrapho* indivulſum reperiet nexum inter *Veritatem Revelationis Iſraëli* datæ; & inter *uſum Vernaculum Linguæ*, qua Deus Eloquia iis ſua conſignavit.

Cum his ſi conferantur, quæ *pag.* 67. 68. *Excurſus primi* in medium tuli, non eſt quod metuam, ne invidiæ concitandæ cauſa hæc proferre arguar. Idque tanto minus vereor, quanto diſertius ſemper teſtificatus ſum, me talia ne ſuſpicione quidem cuiquam eorum, qui in me conſurgunt, affricare: nedum ut dicam ipſis impactam velim.

Tertio. *Siſti res non poſ-*

LXIII. Accedo ad *tertium Conſectarium*, quod *Lingua Hebræa non Vernacula* trahit. Scilicet quod Iſ. *Voſſius* LXX. *Virali Verſioni*, id *Curia Romana* ſuæ *Vulgatæ* arroga-

Digitized by Google

rogavit. Hanc in *Hebraicis* juxta *Græciſque Authenticam* pronuncians, ut *ſcandaloſum noxiumque* damnat, quicquid inde diſcrepat. Famoſiſſima illa Bulla, *Unigenitus* &c. nuperrime adhuc talia fulmina vibravit. Illo *Tyrannidis* Spiritu effectum, in initio progreſſuque *Reformationis*, ut quicumque *Hebraicis*, *Chaldaicis*, *Arabiciſque literis* operam navarent, indeque *Vulgatam* emendare, ac *Lampada* accendere in *Eccleſia* niterentur, pro *Hæreticis*, vel *Hæreticorum* ſaltem fermento contactis, infamarentur. *ſet adverſus* Pontificios ratione Vulgatæ Verſionis.

His jam decretis *Pontificalibus* quid reſponderi queat, ubi ſemel *Lingua Hebræa non Vernacula* ſtatuatur; quin ubi ea de re *vel dubitetur*; equidem excogitari nullus poſſum: neque enim quiſquam jure exegerit, ut in *Lingua incognita*, de cujus *ſignificationibus* controverſia eſt, *Auctoritati Hieronymi*, totiuſque *Eccleſiæ Latinæ*, ipſius *Auctoritas* anteponatur.

LXIV. Eſt aliud, *quarto*, palmarium ſane, quod lucrari poſſet *Eccleſia Romana*, ſi de *uſu Vernaculo Linguæ Hebrææ* vel *addubitaretur*. Nihil eſſet tunc in poſterum, quod *Pontificis* objiceremus indecentiam, & abſurditatem *Cultus Sacri*, *Lingua ignota*, & *non populari*, concelebrati. *Vincerent*, quarto, *iidem*, *in Sacris* ignota Lingua *obeundis*.

Haberent confeſtim, quo omnem iſtum impetum retunderent, atque refutarent. Haberent Exemplum perpetuum *Eccleſiæ Patriarchalis*; ad delineationem datam in *Differt*. de *Ling. prim. Cap.* IV. *par.* IX. Haberent Exemplum totius *Iſraëlis* per omnem ſeculorum memoriam. Haberent ipſius *Dei Auctoritate & Exemplo* conſtantiſſimo ſancitam diſciplinam, religioſiſſimamque inſtitutionem.

Ulterius jam non provehor; meque ipſum freno; ne in *Theologicum locum* excurram, qui me intra *Philologiæ* noſtræ fines continere hactenus decrevi.

LXV. Silentio tamen præterire nequeo, *quinto*, non minus grande firmamentum, quod *Eccleſiæ Pontificiæ* accreſceret ex *Lingua Hebræa non Vernacula*. Nempe om- *Carbonaria eorum*

Digitized by Google

dem fides, quinto, damnari amplius non poſſet. Nec a Reformatis ulla ratione, Sexto, *effugi.*

nia tunc reſolverentur in *Traditionem*, atque *Auctoritatem Antiſtitum Eccleſiæ*: neque eſſet, quod *cæcam* & *Carbonariam fidem* amplius exagitaremus in *Romanenſibus*, qui eam in *Iſraëlitis* ultro admittere cogeremur. &c. &c. &c.

LXVI. En aliud, *ſexto*, multo adhuc propius, graviuſque, nos premens: *ni Hebraica Lingua Vernaculæ fuerit ditionis*, ne nos quidem, qui *Reformati* ſalutamur, *Carbonariæ fidei* notam effugere poſſemus.

Nempe omnis noſtra *Linguæ Hebrææ* notitia, in *Auctoritatem infallibilem* recumberet *Judaicæ Traditionis*, quæ a *Moſe* & *Prophetis* profecta; per *Eſramque*, & *Nehemiam*, ac Viros *Synagogæ Magnæ* continuata; per *Kabbaliſtas*, & *Maſorethas*, ad *Rabbinos* devenerit: indeque ad noſtras tandem pervenerit manus.

Hæc ſi aperiatur porta, conſpiratis undique factionum partibus adverſus *Eccleſiam* poterit conſurgi, & *Reformatio* ſimul ac *Religio*, tanquam *Equo Trojano* noſtrorummet manibus intra mœnia intromiſſo, concident, atque conflagrabunt.

Exceptiuncula.

LXVII. Sed, inquient Adverſarii, nos neutiquam ii ſumus, qui *Rabbinis* cæcam fidem ſubjungamus. Noſtris cernimus oculis. Ipſi *Contextum Hebræo-Biblicum* diurna nocturnaque manu volvimus; ac in attentiſſima Collatione locorum nos occupamus, atque exercemus.

Hac Via, diligentiam noſtram acuente, & adjutante *Sancto Spiritu*, Veras *ſignificationes* omnium VOCUM HEBRAICARUM, cum *ſecundarias*, tum etiam *primarias*, ipſaſque adeo *Origines* omnium *Radicum*, quæ ex *Dialectis* fruſtra quæruntur, ex ipſis *Sacri Codicis* Viſceribus *eruere*, *demonſtrare*, atque in clariſſimam lucem educere valemus.

Ejus refutatio.

Hæc eſt *Arx Guſſetianiſmi*, & *Methodi Metaphyſicæ Hebraizandi*. Eam ſuis præſidiis ita nudavit hic *Excurſus*; ut nemo cui aliqua dignitatis ſuæ, in *orbe Erudito*, cura,

illuc

Digitized by Google

illuc amplius ſit recurſurus. Nempe ex congerie abſurditatum, & repugnantiarum, conſtructa illa: quæ ad radium Veritatis tota colliqueſcit, ſeque in auras diſſipat.

In illa *Arce purus putus* regnat *Fanatiſmus Hebræo-Biblicus*, qui *diem lucemque* ſibi in mediis tenebris imaginatur. Hoc ſæpius a me demonſtratum, atque nunc Evidentius adhuc evictum, procedente *Via Regia* per Exempla cumulatiſſime comprobabitur. *Arx* Guſſetianiſmi.

LXVIII. Quod ſi jam, *ſeptimo*, ſimplex *Guſſetianiſmus*, qui *Linguam Hebræam Vernaculam* nobis linquit, a *Fanatica imaginatione* abſolvi nequeat; quanto magis *Fanatiſmo* iſti *Hebræo-Biblico* adfinis ſententia, qua tenditur, HEBRÆAM LINGUAM *forte non fuiſſe* VERNACULAM. Non diſcutiam nunc, talem *Dubitationem*, pro ſcopo *dubitantis*, ſemper *negationi* proximam cenſeri. Non inſiſtam etiam *in Scepticiſmi* illum locum ſeveriorem. Non oſtendam quoque, *Dubitationem* iſtam, *Cauſam*, quæ adverſus me urgetur, adeo non poſſe ſuſtinere, ut eam plane deſtruat, atque ſubvertat. Hæc, & alia, his annexa, nunc amputo; ne acriora *Excurſui* huic calcaria ſubdam; atque illuc evehar, unde me omni niſu, in Campo hocce emetiendo, refrenavi. Fanatiſmus Hebræo-Biblicus, *ſeptimo*, *leviter attingitur*.

Uno verbulo itaque dixiſſe ſatis nunc habebo, vel *leviſſimam dubitatiunculam* de *Lingua Hebræa forte non Vernacula*, nihil aliud relinquere alicui *Contextum Hebræo Biblicum* nunc ſibi ſuamet diligentia, & meditatione, (ſine ulla ope *Dialectorum*) recluſuro; quam vel *Traditionem infallibilem*, cui ſe & committere, & tuto permittere poſſit; vel *inſpirationem*, *&* *Extraordinariam illuminationem Spiritus Sancti*: qui ſolus *Linguæ ſupra-humanæ Notitiam* infundere valet.

Prius quorſum auferat, jam inſinuatum ſatis. Poſterius quonam tandem avehere, ac præcipitare deberet, cujuſque cogitationi NUNC relictum commendatumque eſto.

LXIX.

Epilogus. LXIX. Finieram. Sed inſtantia quædam quaſdam adhuc lineolas depoſcit. Dilucebit inde quam infelix ſit Certamen, quod ex mente mea aliter, ac par fuit, accepta, exarſit: quodque ſponte ſemet ſopiet, ſi modo veri noſtri ſenſus citra ullum Zelum expendantur, atque ad trutinam Veritatis examinentur.

Hac inſtantia, tanquam inexpugnabile munimentum, nobis objicitur hæcce Ratiocinatio: DEUM *mentem ſuam* hac *Hebræo-Biblica Lingua* quam *Clariſſime*, *Perfectiſſime*, *Liquidiſſime*, *Efficaciſſime*, ac *Sapientiſſime* explicaſſe; ut ad eam DEI mentem in *Contextu Hebræo-Biblico* clare & diſtincte percipiendam, nil niſi hujus ipſius *Linguæ Hebræo-Biblicæ* (modo Spiritus Sanctus lectioni noſtræ aſſiduæ, & meditationi piæ adſpiret) juſta requiratur Cognitio.

Nullum in pericopis hiſce *verbum*, quod non *meum* ſinceriſſimo facere poſſem animo; atque ambabus ulnis amplecti: ſi modo *Ambiguitas* tollatur, quæ ex *appellatione Linguæ Hebræo-Biblicæ* ineluctabili hactenus nodo ſemet inſtrinxit: prout viſum ſupra a *pag.* 206. ad 215.

Multiplicem illam innodationem extricavi, & reſolvi; pro iis qui errore exſolvi non dedignabuntur. JUSTA COGNITIO LINGUÆ HEBRÆÆ ex DIALECTORUM FONTIBUS & *conſtituta* per *Octo Secula*; & ulterius *conſtituenda*. Qui hos *Fontes claudunt*, ipſum *Dei Verbum occludunt*: & *Candelabrum Reformationis*, ejuſque *ſplendidiſſimas Lampadas*, extinguunt.

FINIS EXCURSUS TERTII.


Digitized by Google

Digitized by Google

B. 9 ~~A.5.C.6.10.~~

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google